482 à 2482.

DE

TELLURE DEA

DEQUE EIUS IMAGINE A MANUELE PHILE DESCRIPTA.

DISSERTATIO

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS PHILOSOPHORUM AMPLISSIMI

IN ACADEMIA IENENSI

PRO

VENIA DOCENDI

RITE ADIPISCENDA

D. XIII. SEPTEMBRIS MDCCCXLVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS BERNHARDUS STARK

IENENSIS

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER.



IENAE

TYPIS FRIDERICI FROMMANN.

ARGUMENTUM.

PRAEFATIO.

Cum archaeologi maxime sit in monumentis ipsis versari atque oculos scholiastarum et grammaticorum narratiunculis saepissime falsis aut futilibus legendis non obcaecatos convertere in imagines ipsas indeque quae fuerit veterum artis ratio atque via haurire, mirum videbitur, quod in dissertationis capite scriptoris verba propositurus sim, qui raro inter viros doctos exauditur neque nisi extremos Graecarum literarum limites superavit. Quid enim ex Manuele Phile, cuius aetas a nostra multo propius abest quam ab artium Graecarum flore, qui Constantinopoli iam toties incendiis, nuper Latinorum barbarie atque avaritia devastata in imperatorum aula vivebat cum monachis de parvo victu, quem imperator praeberet, summa invidia ac livore dimicans, aut ad nova plane monumenta cognoscenda aut ad iam cognita illustranda afferri possit? Nihilominus operae pretium me facturum spero, cum imaginis descriptionem a Manuele propositam ex codice Vaticano primo cum omnibus communicem. Unusquisque enim, qui in antiquae artis studiis longius versatus est, et quidquid novi ad monumentorum magnam partem saepissime repetitorum numerum affertur libenter excipiendum esse scit et quid in scriptorum descriptione maxime spectari debeat probe cognitum habet. Raro distinctam quandam imaginis aut statuae ideam elicueris nisi similium monumentorum aspectu adiutus, sed quo quid tempore elaboratum sit, quo loco propositum, quae actionis ratio et caussa, quae saepe obscura argumenti ratio sit, quid addendum in monumentis similibus fractis, apparebit. Atque ipsorum scriptorum qui huc faciunt diversa sunt genera: primum ex monu-

mentis ipsis quasi enatum est *epigrammatum* genus, quod inde a Simonide usque ad Agathiae, Paulli Silentiarii, Leontii tempora in statuis, anaglyptis ex voto factis, sepulcralibus monumentis maxime versabatur primum nihil nisi ut simplex hominum memoria ex piis amicorum aut cognatorum animis profecta lapidibus quasi affigeretur spectans, postea singulari quodam artificis consilio depromto atque verborum lepidae brevitati accommodato ludens. Oppositum huic est *periegetarum* genus, qui ut nostra itineraria raro tantum in artificiis ipsis fuse describendis commorantur, potius quam plurima secundum locorum ordinem proferunt, quomodo ex hominum religione atque cultu profecta sint, explicant, in universum potius notas quasdam monumentis adspergunt quam ipsa intuentur. Medium quasi eorum genus est qui imagines describendas sibi proposuerunt rhetoricis quibusdam aut poeticis exercitationibus. Quanquam difficile saepe distinxeris, quae vere viderint scriptores, quae aut memoria aut rhetorica licentia adiecerint, tamen ad totum imaginum ingenium quasi cognoscendum qui scite res tractarunt mirifice conferunt; ex his principem nominarim Philostratum. Nulli horum generum Manuel Philes adscribi potest; pertinet enim ad eam aetatem, qua largum quasi Graecarum literarum flumen in exsiccatum rivuli alveum coarctatum lente atque uno tenore procedebat, ubi rhetoricus quidam tumor et in pedestri oratione et in poetica regnabat, ubi epigrammatum finis ac forma plane evanuerat, trimetris iambicis aut versibus politicis carmina cuiusque generis pangebantur. Quare monumentorum descriptiones haesitabant quasi inter epigrammatum acumina, pedestrem periegetarum enarrationem, rhetoricam licentiam; vera, simplex, non fucata describendi ratio plane ignorabatur. Talem quoque se praebet Manuel Philes; maximam partem magis brevi epigrammatum ratione utitur in gemmarum, crystallorum, imaginum descriptione, quam alio loco publicaturus sum, neque elegantia quaedam atque acumen deest. Quam nobis hic tractandam proposuimus imaginem, in ea describenda longius commoratus est neque tamen distincte ac simpliciter egit.

Prior igitur dissertationis pars magis philologica erit, unde et qua auctoritate externa nitatur hoc ineditum appareat et

textus quantum possit restituatur et imaginis descriptio in ordinem redigatur. Alterius partis cum esset consilium cognitis quibus Gaea repraesentatur monumentis inserere quasi illam et quid inde ad Gaeae ideam emolumenti prodeat, explicare, cum in his ipsis versarer, fines magis promovendos esse vidi; nemodum enim magnopere in Gaeae imagines animadvertit neque totam monumentorum seriem colligendam et quae sit historica ideae commutatio, explicandum sibi proposuit. Quin mythologica quaedam fundamenta huic dissertationis parti substruenda erunt.

CAPUT PRIMUM.

DE IMAGINIS DESCRIPTIONE A MANUELE PHILE EXHIBITA.

Cum Manuelis Philae carminum nisi una non exstet collectio a Wernsdorfio a. 1768 edita, tamen ne in hac quidem codicum Italicorum, maxime Florentini plut. 32. cod. 19. ratio habita est, cuius demum notitia Bandinii catalogo in Germaniam venit. Inter codices, quorum recensum amplissimum nobis proposuit Harlesius in Fabricii bibl. gr. vol. VIII. p. 618., unius Romani sive Vaticani codicis mentio fit, qui ab eodem Bergecio Parisiis a. 1560 scriptus esse dicitur, ad quem et Parisinus et Oxoniensis refertur; additae sunt animalium figurae. At cum mihi Romam migrare ibique ex largissimis bibliothecae Vaticanae fontibus haurire contingeret, fortuito in Manuelis Philae codices animum adverti atque hos exstare ex catalogo manuscripto vidi:

Vat. n. 1126. 633. 714. 67. 952.
Palat. n. 141.
Urb. n. 125. 152.

quorum in uno n. 1126. nunc subsistendum erit. Hic enim omnium locupletissimus carminum collectionem nobis praebuit, quae et ineditorum numero Florentinum codicem, quem reditu propter belli strepitum celeriter facto non licuit inspicere, aequavit et lectionibus codices a Wernsdorfio in usum

vocatos longe superavit. Ceteros inspexi quidem sed propter temporis brevitatem accuratius comparare non potui. Codex Vaticanus n. 1126. duodecima forma, 296 foliis pergamenis constat; literis minutis sed distinctis, non magnopere abbreviatis scriptus est; non eadem manus apparet vel potius in maiore codicis parte vetus scribendi ratio consilio expressa videtur; sub finem aliquot folia nuda immixta sunt aliis, quorum literae vix extricari possunt. Ad Columnarum familiam pertinuisse codicem apparet ex inscriptione initio posita: volumen hoc est mei Nicolai Bartholomei de columnis. De codicis aetate difficile certi quid proposueris; Heysius vir doctissimus, quem de hac re adii, seculum decimum quartum non excedere censuit. Initio posita sunt f. 1—7. Hephaestionis *περὶ μέτρων τῶν στίχων;* sequuntur f. 9—146. Georgii Pisidae carmina in hexaemeron, in Paulum, Heracleadis acroases duae, in humanam vitam, in impium Severum, Persici belli acroases tres, bellum Avaricum, in Christi resurrectionem, in Mariam Aegyptiacam. Reliqua fere occupat Manuel Philes, nisi quod f. 218. alia manu scripto *εὐαγγελιστήριον ἀρχαῖον καὶ ἀψευδὲς τοῦ προφήτου χάλεβ* insertum est et f. 279—286. Gregorii theologi *γνωμικὰ παραινετικὰ διὰ στίχων*, f. 286—292. Theodori Prodromi carmina agmen claudunt. Statim in initio Philae carminum versus positi sunt, de quibus iam uberius agendum est.

Difficillimum sane est in huiusmodi carminibus critica uti arte, cum certam quandam scribendi rationem atque normam proponere non potueris neque quid scriptoris inscitiae, quid aetatis eius consuetudini, quid librariorum incuriae tribuendum sit distinxeris. Neque habemus iam librum de Byzantinorum dialecto historica quadam ratione confectum, quo quasi fundamento utamur. In carminibus forsitan metri leges auxilium quoddam praebeant, quae in Manuele Phile simplicissimae sunt. Utitur enim iambicis trimetris, quae semper eodem tenore profluunt longis syllabis non solutis et spondeis in imparibus locis positis; nihil spectat nisi ut accentus in penultima syllaba ponatur, neque tamen desunt loci, ubi haec non curavit; vocales *α, ι, υ* pro ancipitibus usurpat. Quare nisi verba sensu plane carent, secundum codicis auctoritatem proponenda erunt. Sunt autem haec:

Μανουὴλ τοῦ μελιστοῦ εἰς τὴν ἐν τοῖς ἀνακτόροις τοῦ ἀπέλλου γραφὴν ἣν ὡς ὁ λόγος ἔχει καὶ τράπεζαν εἶναι τοῦ ἀλεξάνδρου·

μιμούμενος γῆς ὁ γραφεὺς ἔτι φύσιν
πεπηγμένους ἔγραψεν οὓς βλέπεις τύπους·
εἴπερ γὰρ ἦν θέλησις ἐν τῷ τεχνίτῃ
κινουμένας αὐτὰς γραφὰς εἶχες βλέπειν
τὰ μὲν πετεινὰ πρὸς νομὰς ἐλευθέρους
γένη δὲ νηκτῶν εἰς θαλάττης τὰ πλάτη
καὶ κοχλίας· μῦς εἰς χαράδρας τοὺς[1]) ζόφους·
τί γοῦν τὸ κέρδος τῆς χαρᾶς ἐκρευσάσης
καὶ τοὺς θεατὰς τῶν καλῶν στερησάσης;
σὺ δ' ἀλλὰ τὸν νοῦν ὁ σκοπῶν τοῦ τεχνίτου
μὴ τῆς γραφῆς θαύμαζε τὴν χαρὰν μόνην·
τὴν γῆν γράφει γὰρ ἡδονῇ[2]) πεπηγμένην
ὡραίαν εὐπρόσωπον ἔνδροσον κόρην
λυσιπλόκαμον εὐπρεπῶς ἐσταλμένην
καὶ ταῖν χεροῖν φέρουσαν οὓς τρέφει τόκους
τρίγλας ῥοδόχρους καὶ τροφίμους σκορπίους
ξηρῶν θαλάττης κυμάτων ἀντὶ πλέον·
ἴδοις[3]) δὲ τὸν μῦν πρὸς τροφὰς ἠπειγμένον·
δουλοῖ τὸ λίχνον ἡδοναῖς τῶν ἰχθύων
καὶ τὸ γλυκὺ δὲ τῆς τροφῆς τῶν ἰσχάδων
τὰ πτίλα δεσμεῖ τοῦ λαλοῦντος στρουθίου·
μισεῖ τὸ λυποῦν ἀστακὸς τῆς πατρίδος
βλέπων τὸ σύμπλουν δυστυχὲς λελειμμένον·
πλὴν ἀλλ' ὃ δεινὸν ζωγραφοῦσιν[4]) εἰκόνας
χέρσῳ θαλάττης τοὺς βαρεῖς σφῆκας[5]) κτυπεῖν
μή πως πτοηθεὶς τῆς γραφῆς ἀποδράσῃ·
σὺ γοῦν σιγῶν θαύμαζε τὴν τεχνουργίαν
μήπως ταραγμὸν ἐμβάλῃς ταῖς εἰκόσι
καὶ τῆς χάριτος τὴν γαλήνην συγχέῃς·
ἀλεκτρυὼν γὰρ ὡς ὁρᾷς τρέμει βλέπων
τὸν ὑγρόφυρτον δυσέλικτον κοχλίαν
τὴν δικρόαν τείνοντα τῆς προβοσκίδος·

1) cod. εἰς. 2) cod. ἡδονή. 3) cod. ἴδευς. 4) cod. ζωγραφοῦντας εἰκόνας; forsitan scribendum ζωγραφεῖς τὰς ε. 5) cod. σφιγγα.

ὁ μῦς πόρους ἤνοιξε τῶν ἀκουσμάτων
ὡς ἂν ταραχθῇ τοῖς[6]) *ὁ παῖς ὑποτρέχων*
ἄλλως τε φαγὼν καὶ τὸ πᾶν τῶν ἰχθύων
καὶ τὴν ἀνάγκην τοῦ λιμοῦ κατασβέσας
οὐ καρτερήσας καὶ δραμεῖται τοὺς κτύπους·
τὸν δημιουργὸν τοιγαροῦν τῶν γραμμάτων
σιγῶν ἐπαίνει μὴ στερήσῃς τὸ κράτος[7])
καὶ τοὺς θεατὰς τῶν γραφῶν τῶν ἐμψύχων.

Quam igitur picturam sibi proposuit describendam Manuel Philes, et in palatiis Byzantio esse et ad Apellem pictorem referri et secundum famam quandam Alexandro Magno mensae fuisse dicitur. Nulla harum rerum dubitationem non movet; iam accedunt aliae quaestiones. Cuiusnam enim generis pictura, *γραφή* dicta, erat, utrum tabula lignea forsitan encaustica arte exornata an parietina pictura an musivo opere confecta? Si Byzantinorum scriptorum usum spectamus, de quo Ducangius Gloss. med. et inf. graec. s. v. *κηρός* fuse egit, duo *γραφῆς* genera opponuntur, alterum *διὰ κηροχύτου ὕλης* sive *ὑλογραφία*, alterum *διὰ μουσείων* sive *διὰ ψηφίδων*, illud in tabulis ligneis, interdum linteo coloribus cerae immixtis pingebatur, hoc sectilibus lapidibus constabat. Neque alio picturae genere repletae sunt ecclesiae Graecae quotque Italicarum ad Graecorum rationem exornabantur. Parietes coloribus pingere plane in oblivionem venerat neque nisi cum renascente Italiae arte effloruit. Quare hoc loco de his duobus solum generibus cogitari potest, accedit quod adiecta illa *ἦν — καὶ τράπεζαν εἶναι Ἀλεξάνδρου* sensu plane carent, si ad parietinam picturam referuntur. Si Apellis nomini hoc loco quid tribuimus, *tabulam* esse picturam apparet; non enim facile alio pingendi genere et principes Sicyoniae et Ionicae disciplinae artifices et Apellem usos fuisse demonstravit Raoul Rochettius (Peintures ant. p. 46—86.). Sed si ad famam illam respicimus, quae rei ipsius aspectui non facile plane repugnavit, tabula lignea coloribus exornata, quomodo mensa fuisse dicatur Alexandri non video. Secundum rei naturam et perpetuo Graecorum more tabulae suspensae in intercolumniis aut parietibus porti-

6) cod. *ταῖς*. 7) cod. *τὸν κράτον*.

cuum conspiciebantur, quemadmodum Anaxandridas comicus (Athen. VI, 227. B.) dicit:

τῶν ζωγράφων μὲν ἡ καλὴ χειρουργία
ἐν τοῖς πίναξι κρεμαμένη θαυμάζεται.

Sectile opus mensis adaptari posse unusquisque videt, praesertim si praeclaras illas mensas ex Florentinis officinis profectas, quibus principum aedes exornantur, meminerit. Atque Terrae imago et ad solum aedium ipsum et ad mensam exornandam optime quadrat, quippe quae ipsa et pedibus calcetur et frugifera omnia ferat. At quaerat quispiam, nonne τράπεζα Latinorumque mensa in universum tabulam quadratam significat neque hoc loco nisi pro πίνακα dictum est? Sane tabulae illae lapideae sepulcra tegentes, in quibus libationes fiebant, τράπεζαι dicebantur neque tamen unquam pro tabula in universum, tabula etiam picta vocabulum usurpatum est. Et faciamus ut τράπεζα id ipsum significet, hoc loco plane supervacaneum est, cum nihil novi ad γραφῆς notionem addat. Quare ex hominum sententia picturam illam Alexandro mensae fuisse existimemus necesse erit. Num vero opus sectile an tabula fuerit, difficile ad liquidum perduxeris. Alio loco fol. 209., ubi mentis divinae, ignis coelestis, lucis, spiritus imagines describit Manuel Philes, de tabulis cera pictis se loqui verbis ipsis profitetur:

ὁ δημιοῦργος τῆς γραφῆς πῶς ἰσχύεις
καὶ ταῦτα κηρὸν ἀκριβῶς ὑπεγχέας;
εἰς πῦρ δὲ κινῶν τῆς γραφίδος τὰς τρίχας
πῶς οὐδὲ ταύτας ἀδρανεῖς οὔσας φλέγεις;

Potius igitur in tabula picta subsistendum erit, quam ut rem celeberrimam in imperatoris palatiis conservatam esse apparet; opera sectilia autem maxime communia raro ad id gloriae pervenisse crediderim.

Iam de *Apellis* nomine aliquid adiiciendum est. Apellis ipsius tabulam ante oculos habuisse poetam alii credant; per quindecim enim secula non facile tabula picta eaque non loco quodam angusto inclusa sed publice in palatio proposita conservetur. Nonne iam Neronis aetate Plinio (h. n. XXXV, 36, 15.) auctore Veneris e mari exeuntis celeberrima tabula ab Augusto in Caesaris delubro dedicata carie consenuit aliaque Dorothei manu substituta est? Atque quae caussae contulerint ad

artificum opera Constantinopoli delenda, incendia, terrae motus, rapinae, populi furor, inimicorum, maxime Latinorum avaritia, earum amplum recensum nobis tulit Heynius in Comment. Gott. v. XII. p. 273 sq. Accedit quod illius temporis scriptores non sane religiosi erant in Phidiae, Polycleti, aliorum nominibus ad artificia adscribendis; sic Iovem Olympium, quem chryselephantinum fuisse scimus, in Lausi palatio exstare iactitat Cedrenus (Comp. hist. p. 322. B.); sic Tzetzes Apollinis caput a Phidia elaboratum in palatio suo conservari prodit (Chil. VIII, 33.). Neque secundum Apellis exemplar confectam esse nostram imaginem pro certo confirmaverim; celeberrimi pictoris nomen facile adhaerebat imagini, quam quasi ex artium veterum ruina conservatam summi faciebant imperatores Byzantini. Id quidem constat imaginem non decimo aut undecimo seculo inventam aut confectam esse sed ad id tempus pertinere, ubi et antiquitatis notiones non plane evanuerant ex hominum animis et artis studium in repetendis maxime veterum operibus florebat. Inter Apellis opera Terrae apud veteres scriptores mentio non fit, neque tamen abhorruisse eum ab eiusmodi picturis ex Fortuna apparet, quam Stobaeo auctore (Serm. CCLI. p. 833. 22. ed. G. Sillig Catal. art. p. 74.) sedentem pinxit.

Si ad *descriptionem* ipsam accedimus, initio usque ad v. 12. scriptor nobis proposuit, quid non pinxerit artifex, in universum solum quid ei propositum fuerit declarans. Facile enim apparet *πεπηγμένους τύπους* opponi sequentibus *κινουμένας γραφάς*; illos effecisse dicitur pictor Terrae naturam imitatus. *Κινούμεναι* autem *γραφαὶ* quae sint iam explicantur: aves libere in pascuis vagantes, pisces et cochleae in lato aequoris dorso natantes, mures in terrarum latebras fugientes. Eadem quatuor animalium genera infra, ubi imago describitur, nobis obveniunt, in universum enim quidquid vivum significant. Minime sic locus interpretandus est, ut Philes in universum picturae non esse res motas repraesentare sed unumquodque affigere quasi et firmare in tabula dicere voluerit; magnam enim vim ponit in vocabulo: *πεπηγμένους*; repetit infra v. 12.: *τὴν γῆν γράφει — πεπηγμένην*; describit quomodo pisces, mures, cancri, aves voluptate, victu fruendo detineantur atque in uno loco confirmentur. Duae igitur atque diversae Terrae condiciones oppo-

nuntur, quarum unam repraesentandam sumserit pictor. — In singulis versibus non admodum haerebimus: v. 2. τύπους, quod proprie de anaglyptis cuiusvis materiae dicitur, ex seriore dicendi ratione ad imaginem refertur. Quod v. 7. commutavi τοὺς ζόφους cum εἰς ζόφους, quanquam alterum ferri possit, ex antecedentis versus analogia feci, cui admodum studuerunt scriptores Byzantini. Mire de voluptate eo sublata loquitur poeta, quod non iam videamus animalia dispersa ac mota; sed consilio χαρὰν et νοῦν opponit, singulare quiddam atque ingeniosum voluisse artificem significans. Inde a versu duodecimo in *imagine ipsa* versamur, cuius in medio quasi proponitur ipsa Gaeae persona. Quod duodecimo versu ἡδονῇ subscripsi iota, omnibus comprobatum iri spero; quid enim vult: voluptas pingit Terram, praesertim cum in antecedentibus in artificis ingenio, non in voluptate ex pictura haurienda omnis vis ponatur? Optime autem dativus ad πεπηγμένην quadrat; Terra non ambulans, non commota, non festinans nobis proponitur sed quae est propria eius indoles, firmata loco atque quieta ex interna quadam animi voluptate. Utrum sedentem an iacentem nobis fingamus deam ex hoc loco non satis clare apparet; attamen firmandi notio magis in iacendo inesse videtur. Qualem autem se prodit dea? maturam, facie pulchram, rore quasi conspersam virginem, solutis crinibus, decenter vestitam. Manibus autem portat mullos roseos et scorpios opimos, quos nutrit foetus magis quam steriles maris fluctus. Mulli rosei dicuntur quemadmodum Cratinus in Trophonio ap. Ath. Deipnos. VII. p. 325. dicit:

οὐδ' Αἰξωνίδ' ἐρυθρόχρων ἐσθίειν ἔτι τρίγλην.

Difficultate non parva laborat versus decimus septimus: quid enim significat ξηρὰ κύματα et ἀντὶ πλέον? Primo quidem aspectu sicci maris fluctus omni sensu carere videntur; attamen ex sententiarum nexu Terrae frugiferae, quae ipsos pisces pascat, steriles maris fluctus Homeri ἅλα ἀτρύγετον opponi apparet. Atqui ξηρός seriore aetate de rebus macris, ieiunis dicebatur; ξηροφαγία apud Christianos Latinorum ieiunio plane respondebat; inde a scriptore nova quaedam et inaudita sectante facile ad mare transferri poterat, a quo nihil initio magis alienum esse videbatur. Alteram versus partem ex codicis lectione

expediri quoque posse existimaverim. *Ἀντὶ πλέον* cum genitivo coniunctum in comparationibus obvenire ex Soph. Trachiniis v. 577. apparet:

στέρξει γυναῖκα κεῖνος ἀντὶ σοῦ πλέον.

Nostro autem loco Terra magis nutrire dicitur pisces quam maris fluctus. Fuit cum de coniectura cogitarem et *ἀντιπέραν* mihi scribendum videretur, ut locus, quo Terra ab artifice posita erat, significaretur; ponto adiacere Terram infra videbimus; hic codicis lectio bene servatur.

Iam a Terrae ipsius persona ad animalia, quibus circumdatur, describenda transgreditur scriptor. Conspicimus murem ad cibum festinanter aggressum, appetens piscium genus voluptati quasi serviens; garruli passeres dulcibus ficorum fructibus allecti alis devinciuntur; astacus miseros comites derelictos in mari conspiciens miseram patriam perhorrescit. Nihil in his inest quod difficultatem praebeat neque in eo, quod *ἴδοις* pro *ἴδευς* scripsi, alloquente ut in sequentibus spectatorem poeta. Altiore enim animi impetu abripitur spectatoremque monet, ne conspectu territus ipsam imaginem turbet loquendo. Sed in his verbis sunt quibus offendimur: v. 24. in codice *ζωγραφοῦντας εἰκόνας* legitur, quod ita demum ferri possit, ut *κτυπεῖν* activo sensu dictum existimemus haecque sit sententia: „sed singulare, ammirandum est, ut qui picturas pingant „ad maris litus *τοὺς βαρεῖς σφίγγα* perstrepere faciant, perstre-„pentes proponant.“ At quam contorte sit dicendi ratio maxime propter tres accusativos, alium ex alio pendentem, unusquisque videt. Emendavi igitur *ζωγραφοῦσιν εἰκόνας* neque repugno si quis legi velit: *ζωγραφεῖν τὰς εἰκόνας*, modo ne versus 24. et 25. unam eandemque enunciationem efficiant. Restant adhuc sequentis versus verba: *τοὺς βαρεῖς σφίγγα*, quae sensu plane carent. Pluralis requiritur, sed quaenam sunt sphinges, graves, molestae ad maris litus strepentes? Sphinges plane huc non faciunt, ubi certa quaedam ex rerum natura desumta animalia, non ficta, mythologica proponuntur; neque de sphingum fremitu unquam quid comperi. Scribendum *σφῆκας* vel quod propius ad literas ipsas accedit et Byzantinorum usui respondet, *σφήγγας* (tum *τὰς* pro *τοὺς* legendum). De vespis enim ad maris litora versantibus susurroque omnia implen-

tibus loquitur poeta ceteris animalium generibus, quae in Terrae imagine visebantur, insecta adiungens. Neque iniuria in eo quasi summum artis apparere dixit, ut vespas susurrantes audire te crederes. *Βαρεῖς* autem dicuntur *σφῆκες* aut quod molestiam parent maximam aut propter gravem, depressum sonitum, quem excitant.

Posteaquam ne *χάριτος γαλήνη*, venusta illa picturae quies turbetur, monuit Philes, reliquam adhuc picturae partem illustrat, in qua gallus, cochlea, mus, puer ad visendum proponuntur. Cochlea humido quasi illita, foedata, torta cornuum furca porrecta gallum exterret; mus quasi turbetur aures arrigit; neque puer diu in loco subsistet, praesertim cum piscibus vescendis edendi ardorem exstinxit. *Δικρόα τῆς προβοσκίδος* i. e. bifidum rostrum proprie non ad cochleam pertinet sed quadrifidum; fissum esse in universum dicere voluit scriptor.

Iterum in duobus ultimis versibus monemur, ne in laudando artifice vociferantes spectatores picturae quasi viventis specie privemus. Quod praeter spectatores nominaverit *τὸν κράτον* non intelligo. Imperatorem hic afferri, in cuius aedibus pictura servabatur, verisimillimum mihi videtur; aut *τὸ κράτος*, quod seriore aetate imperio fungentes significat, aut *τὸν κρατὺν* legendum sit.

Sed haec hactenus. Verbis igitur Manuelis quantum potui illustratis internoque sententiarum nexu demonstrato singulas picturae partes habemus illi quidem sed non ordinatas atque compositas. Habemus maris litus, puellam Terram ipsam firmatam, manibus duas piscium species tenentem; habemus murem, pisces, aves in cibis fruendis occupatas, vespas susurrantes, cochleam rostra porrigentem, gallum exterritum, iterum murem, puerum accedentem. Iam ut totum quiddam componatur certamque nobis picturae ideam proponamus, monumenta ipsa, quibus Terra exhibetur, perlustremus necesse est.

CAPUT SECUNDUM.

DE GAEAE MYTHOLOGIA ATQUE CULTU.

Gaea cum ad ea numina pertineat, quae neque duodecim deorum Olympicorum numero interposita neque Bacchi choro adnexa certam quandam formam ex populi eiusque interpretum ore acceperunt sed potius in longinquum remota atque devincta post partes in cosmogonia actas esse credebantur, facile nihil nisi philosophicam quandam notionem esse existimaveris. Attamen et deam esse habitam notione secundum temporum rationem sensim mutata et in deorum historia partes egisse et certis quibusdam locis cultam esse certissimis comprobatur documentis. Apud Homerum cum omnis deorum origo (*θεῶν γένεσις*) ad Oceanum et Tethyn referatur (Il. ξ, 201. 302.), Gaeae in cosmogonia certae quaedam partes non tribuuntur. Nihilominus in magnis iurisiurandis bis cum Urano et Stygis aqua (Il. ο, 36. Od. ε, 184.), bis cum Iove summo deorum, Sole, inferis Furiis (Il. γ, 277. ubi Fluvii adiiciuntur, τ, 255.) coniungitur. Medea quoque sanctissimo per Uranum et Gaeam *θεῶν μητέρα* iureiurando se obstringit (Apoll. Arg. III, 716. 701.) neque non *πρὸς Γῆς* ut affirmandi formula in usu fuit (Anthol. Pal. VII, 657.). Recte Naegelsbachius (Theol. hom. p. 75.) in primis locis potius trifariam mundi partem, quam certas quasdam personas invocari existimavit. Alia reliquorum locorum ratio est, cum et Sol et Fluvii divinas partes agant. Gaeae autem et Solis numina ad Troianos maxime pertinere videntur, cum (Il. γ, 103 squ.) ad foederis ictum Troiani agnos duos, album et nigrum Gaeae et Soli ferre iubeantur, Argivi unum Iovi. Mirum sane est, quod hoc loco et Fluviorum et inferorum deorum mentio non fiat, qui in foedere ipso conficiendo simul invocantur eaque nova caussa accedere possit, ut cum Lachmanno (Betrachtungen üb. d. Il. p. 16.) *ὅρκια* in tertium librum ex diversorum carminum fragmentis illata esse existimemus; senem ipsum Priamum, qui adducitur *ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ αὐτός*, invocare Solem et Gaeam exspectaveris. Id igitur teneamus apud Homerum Gaeam et cum *Sole* coniungi

et cum *chthoniis* diis. Duo iam exstant Odysseae loci, ubi Gaeae *filius* Tityus nominatur (Od. η, 324. λ, 576.); epitheton ἐρικυδής secundo loco ei tribuitur. Attamen num hi ipsi, in quorum priore Rhadamanthys una cum Phaeacis *ἐποψόμενος Τιτυόν* in Euboeam profectus esse dicitur, altero Tityus inter eos nominatur, qui propter impietatem puniantur, ad reliquorum Odysseae carminum aetatem accedant, valde dubitandum videtur. Plane alia nobis obvenit Gaea in *Hesiodi* carminibus indeque poetarum philosophorumque notio constanti fere usu petita est. Non enim solum tertiae aut quartae rerum parti praeest, ut aut Urano et Stygi aut Urano, Ponto, Inferis (Il. ο, 193.) quippe quae sola tribus fratribus communis relicta sit, adiungatur sed quasi *firma rerum et deorum omnium sedes* = *πάντων ἕδος ἀσφαλὲς ἀεὶ* (Theog. v. 119.) nobis proponitur. Post Chaos ipsa prima una cum Tartaris et Amore exstat; Tartara ipsa appendix quasi Terrae esse videntur, adiunguntur enim particula *τε*, cum Amor per *ἠδὲ* his duobus apponatur, quin *ἐν μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης* disertis verbis dicuntur. Gaeae notione omne quod *supernum* exstat, quod *apparet*, continetur. Ex Gaea ipsa demum Uranus ei par prodit, Montes, Pontus; coeli igitur et terrae, terrae et maris oppositio in Gaea ipsa latebat. Inde ex *Gaea* cum *Urano* coniuncta deorum gentes procreatae sunt, quae constanti fere usu *ὅσσοι — Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο* dicuntur (Theog. v. 45. 106. 153. 421. 643.). Quanquam non desunt vestigia, ubi Gaea a diis disiungatur, quippe quae eos antecedens et medium quoddam inter deos et res ipsas sit (v. 108.: *ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ Γαῖα γένοντο*), tamen ex sequentibus versibus, maxime ex partibus, quas Gaea in Urano exsecando agit, ex eius ira et misericordia certam et quasi circumscriptam deae ideam fuisse apparet. Optime hae duae Gaeae notiones a Pherecyde apud Diog. Laertium (I, 119.) disiunguntur, dicit enim: *Ζεὺς μὲν καὶ Χρόνος εἰς ἀεὶ καὶ Χθὼν ἦν· Χθονὶ δὲ ὄνομα ἐγένετο Γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ*, cf. Preller Demeter p. 186. Chthon igitur rerum materia est; Gaea dea prodit, posteaquam a Iove munus accepit. In deorum civitate ab Iove ordinata munere fungens versatur. Quid sit autem eius munus, qui honor ex *Homerico hymno εἰς τὴν μητέρα πάντων*, discimus. *Παμμήτειραν, ἠΰθέμεθλον, πρεσβίστην* eam

dicit poeta; *σεμνὴ θεὰ ἄφθονε δαῖμον* (v. 16.), *θεῶν μῆτερ ἄλοχ' Οὐρανοῦ ἀστερόεντος* (v. 17.) invocatur. Nutrit omnia quae sunt in terra

ἠμὲν ὅσα χθόνα δῖαν ἐπέρχεται ἠδ' ὅσα πόντον
ἠδ' ὅσα πωτῶνται τάδε φέρβεται ἐκ σέθεν ὄλβου.

Memorabiles sane versus, si ad imaginem illam a Manuele Phile descriptam respicimus. Cui hominum favet dea, ei agri frugiferi, armenta, domus opibus repleta, liberorum abundantia contingunt; in urbe feminarum pulcritudine clara, bene ordinata imperat; virgines in pratis floridis choros ducunt. Apud *Aeschylum* (Sept. c. Th. 16.): *γῇ μήτηρ φιλτάτη τροφός*, quae ab infantia statim incolas receptos (*πανδοκοῦσα*) nutrivit, magis ad terram ipsam Thebanam quam ad deam referenda est; posteaquam enim Eteocles deorum aris succurrendum esse, ne honoribus destituantur solitis, monuit, ad liberos et terram tuendam excitat. Sed alio loco (Prom. v. 210.): *πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία* dicitur, quod iam ad confusionem quandam numinum spectare videtur. In Choephoris (v. 127.) duplex quasi eius natura proponitur, cuius in hymno illo vestigium nullum inerat; invocatur enim *ἣ τὰ πάντα τίκτεται θρέψασα τ' αὖτις κῦμα λαμβάνει* sed invocatur una cum diis inferis Mercurioque *καταχθονίῳ*. Duplex sane Gaeae notio, duplex cultus his temporibus nobis obvenit; *Chthonia* Gaea et aliis locis satis nota est et ex Aeschyli Persis (v. 618. 619. 627. 639.); *Γᾶ τε καὶ ἄλλοι χθονίων ἁγεμόνες* invocantur; in inscriptione graeca *Γῆ κάτοχος* et *Ἑρμῆς χθόνιος* et *Φερσέφαττα* obveniunt (Bökh. Corp. I. n. 538.). *Olympia* Gaea quoad scio nisi duobus locis disertis verbis non nominatur iique ad unum idemque eius sacrum spectant. Iam liceat hic eos proferre, quanquam ad Gaeae cultum pertinent, de quo postea agemus. Pausanias (l. I, 18, 7.) cum de Iovis Olympii templo ab Adriano confecto eiusque area agat, quae sint vetera in eo sacra enumerat; nominat autem *Ζεὺς χαλκοῦς καὶ ναὸς Κρόνου καὶ Ῥέας καὶ τέμενος Γῆς ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας· ἐνταῦθα ὅσον ἐς πῆχυν τὸ ἔδαφος διέστηκε* etc. Plutarchus de Thesei cum Amazonibus rebus gestis loquens haec habet (Thes. c. 27.): *ἔνιοι δέ φασι μετὰ τοῦ Θησέως μαχομένην πεσεῖν τὴν ἄνθρωπον (Ἱππολύτην) καὶ τὴν στήλην τὴν παρὰ τὸ τῆς γῆς τῆς Ὀλυμπίας ἱερὸν ἐπὶ ταύτῃ κεῖσθαι.* Atqui Pausania auctore (l. I, 22, 3.) in ipso

acropolis aditu *Θέμιδος ναός ἐστι· κέχωσται δὲ πρὸ αυτοῦ μνῆμα Ἱππολύτῳ — Ἀφροδίτην δὲ τὴν Πάνδημον ἐπεί τε Ἀθηναίους Θησεὺς ἐς μίαν ἤγαγεν ἀπὸ τῶν δήμων πόλιν αὐτήν τε σέβεσθαι καὶ Πειθὼ κατέστησε· — ἔστι δὲ καὶ Γῆς κουροτρόφου καὶ Δήμητρος ἱερὸν Χλοής· τὰ δὲ ἐς τὰς ἐπωνυμίας ἔστιν αὐτῶν διδαχθῆναι τοῖς ἱερεῦσιν ἐλθόντα ἐς λόγους.* Facile apparet de uno eodemque monumento, quod aut ad Hippolytum aut ad Hippolyten referatur, loqui scriptores, Plutarchum autem in Gaeae cognomine errasse, cum Gaeam *κουροτρόφον* Olympiam dixerit; non enim Pausaniam, qui in his rebus religiosissimus est atque de dearum illarum cognominibus a sacerdotibus bene et accurate certiorem se factum esse profitetur, si huic quoque sacro Olympiae nomen adhaereret, praetermissurum fuisse credo. Falso autem Gerhardus, qui primus in Gaeam Olympiam animos advertit, Troezenen Gaeae et Cereris Chloes sacra ablegat eaque cum Veneris et Pithus imaginibus in unum quasi coniungit (Prodromus p. 29.). Quaenam autem est Gaea illa Olympia? Gaeam Olympiam ad Iovem Olympium spectare eique quasi apponi iam ex eo apparet, quod in Olympiei peribolo vetustissimum sacrum inclusum erat; tum tria in universum sacra vetera nominantur, Iupiter aheneus, Croni et Rheae templum, Gaea Olympia, quae non sine caussa sic coniuncta sunt, ut Iovi Gaeam respondere quodammodo videas, denique in ipso Gaeae sacro terrae vorago erat in *Deucalionis* fluctu facta, in quam annuas fundebant libationes hydrophoriorum festis diebus (Preller Demeter p. 228. Gerhard Prodromus p. 30.), *Deucalion* autem ipse antiquissimum Iovis Olympii sacrum condidisse fertur (Paus. I, 18, 8.). Inde Gaeam Olympiam a Gaea *κουροτρόφῳ* diversam plane esse apparet; illius enim cultus a Deucalione, huius ab Erichthonio institutus est (Suidas v. *κουροτρόφος Γῆ*); hanc plane Atticam deam chthoniam esse postea videbimus. At iam locus exstat, quo tota haec disputatio inverti, certum autem Iovis et Terrae una cultarum documentum afferri videtur, Macrobius enim (Sat. I, 11.) haec habet: „(Saturnum et Opem) quos etiam nonnullis coelum ac terram „esse persuasum est. — Huic deae sedentes vota concipiunt „terramque de industria tangunt demonstrantes et ipsam ma„trem esse terram mortalibus appetendam. Philochorus Sa-

„turno et Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit „eosque deos pro Iove terraque coluisse instituisseque ut pa„tres familiarum et frugibus et fructibus iam coactis passim cum „servis vescerentur.“ Philochorus autem de Crono et Rhea, qui Latinorum Saturno et Opi respondent, loquitur de eorumque cultu a Cecrope instituto; si adiecit pro Iove Terraque eos habitos esse ex sua opinione fecit; ex nostro enim loco Cronum et Rheam Athenis a Iove Terraque disiunctos suum habuisse cultum apparet. *Κρόνια* in primo Atheniensium mense Hecatombaeone celebrabantur indeque mensi ipsi nomen *Κρονιών* adhaerebat (Hermann Lehrb. d. gr. Ant. II, p. 273.) neque tamen haec a Philochoro et Macrobio intelliguntur sed dies festi Romanorum Saturnalibus respondentes, qui num unquam prioribus temporibus Athenis exstiterint an potius Macrobii levitati in Philochoro legendo tribuendi sint non diiudicaverim. His disputatis redeamus ad Gaeam Olympiam, deam illam universalem deorum rerumque sedem, quam Pherecydes l. l. Iovi et Crono apposuit, eamque decantant Peleiades Dodonaeae apud Paus. X, 12, 5.:

Ζεὺς ἦν Ζεὺς ἔστι Ζεὺς ἔσσεται ὦ μεγάλε Ζεῦ
Γᾶ καρποὺς ἀνίει διὸ κλῄζετε ματέρα γαῖαν.

Apud Euripidem quoque (El. v. 1177.) ad Clytaemnestrae et Aegisthi caesa corpora conspicienda invocantur coniuncti ab Oreste, quippe qui omnia videant:

ἰὼ Γᾶ καὶ Ζεῦ πανδερκέτα
βροτῶν ἴδετ' ἴδετε τάδ' ἔργα.

Non iam per longum tempus Gaeae notio, qualem hic proposuimus, integra atque non mixta conservata est; in ipso enim Graeciae flore divina illa Thraciae, Phrygiae in universum Asiae minoris numina illata sunt; Cybele, Magna Deum mater, Diana Bendis Athenis festorum magnifico apparatu celebrari coeperunt. Philosophi cum iam a populari religione discederent, miscendo atque confundendo suis eam opinionibus adaptare studebant. Neque discrimen ipsum, si ad remotissimos quasi radices progrederis, inter numina diversa hominibus rem ratione atque iudicio investigantibus magnum intercedebat. Sic Euripides in Bacchis (v. 275 squ.) cum duobus maxime numinibus Cerere et Baccho hominum vitam ser-

vari atque ornari declarare vellet, *Cererem* et *Gaeam* easdem esse profitetur:

τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι Δημήτηρ θεὰ
Γῆ δ' ἔστιν ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει.

Optime autem Preller (Dem. p. 30.) disiunctas has plane fuisse Cereremque plane ad culturam segetum cultumque hominum inde profectum spectasse demonstravit. Iam quod Euripides comprobare quodammodo studuit, id posterioribus philosophis, Ciceroni ex iis haurienti plane persuasum est (Cic. de nat. deor. III, 20.). Accedunt aliae deae ad hanc syncrasin: Cornelius Labeo una cum aliis apud Macrobium (Sat. I, 12.) et *Maiam* et *Bonam deam* et *Faunam* et *Opem* et *Fatuam* Terram esse profitetur; *Vestam* affert Servius (Virg. Aen. II, 296.) neque non *Cybelem* (Virg. Aen. III, 113.); quin hic ex Cybeles imaginibus terram esse demonstrare studet. De Cybele non mirabimur, cum iam apud eundem Euripidem fabularum corruptorem plane cum Cerere confusam esse videamus (Hel. 1320.). In Orphicis hymnis *Gaea* et *Hecate* non iam distinguuntur. Etymologica quadam subtilitate *Pandora* Gaea esse dicitur ab Hesychio (s. v. *Πανδώρα*) *ὅτι τὰ πρὸς τὸ ζῆν πάντα δωρεῖται.* Plane aliam fuisse artium rationem in monumentisque ipsis multo diutius deorum imagines disiungi infra videbimus.

Transgredientibus nobis ad secundam huius disquisitionis partem ut quas in deorum historia partes egerit Gaea investigemus, unde summa ipsis monumentis lux accedit, non tam certus quidam mythorum cyclus a poetis celebratus expectandus est quam elementa quaedam ex diversis mythis iisdemque saepe non communibus conquirenda sunt. Sic autem agamus ut primum de Gaea *matre* eiusque liberis tum de Gaea *κουροτρόφῳ*, quae et occultat et prodit, tum de eius *amore* et *odio*, de eius *praesentia* in rebus inter deos gestis, de ea *vaticinante*, de *chthonia* loquamur, denique quibuscum diis coniungi soleat disputemus.

Gaea *matris* notionem quasi propriam vindicare sibi potest; *μήτηρ* enim *πάντων*, *παμμήτειρα* dicitur, matrem esse in universum oraculum illud a Delphico Apolline Bruto et Tarquinii filiis datum confirmavit; ut mater mortuorum corpora sinu excipiat, plurimis epigrammatibus rogatur (Anthol. Pal. VII,

62. 321. 371.). Attamen certa quaedam deorum genera, certi dii Gaea nati dicuntur esse. Apud Hesiodum (v. 126 sqq.) plura quasi pariendi intervalla distinguuntur; primum Uranus, Montes, Pontus ex ea sola prodeunt; sequuntur Coeus, Creus, Hyperion, Iapetus, Thea, Rhea, Themis, Mnemosyne, Phoebe, Tethys, Saturnus. Gaea et Urano nati tum Cyclopes nominantur, postremo tres illi filii *ὑπερήφανα τέκνα* Cottus, Briareos, Gyges. Neque Urano solo utebatur coniuge Gaea; ex Ponto (v. 237.) Thaumanta, Phorcyn, Ceto, Eurybiam procreavit, e Tartaro Typhoeum. Typhoei loco Typhon nominatur aut in Cilicia (Apoll. I, 6, 3.) aut in Sicilia natus (Schol. Pl. Phaedr. p. 231. ed. Steph.).

Quin fluviorum dii ex ea liberos procreasse dicuntur; sic apud Pindarum (Pyth. IX, 17.) Nais Creusa Gaea et Peneo nata est. In huiusmodi mythis autem Gaeae loco Nympha regioni praeposita nominari solet. Terrae quoque Gaeae filiae esse existimantur; sic Platonis scholiastes (Pl. Tim. p. 24. E. ed. St.) haec habet: *Ἀσία δὲ ἀπὸ Ἀσίας τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς.* Sic nullius mundi partis neque aethereae neque maritimae neque subterraneae non particeps fuit Gaea. Sed certam quandam liberorum indolem facile deprehendas; est enim *immane quiddam* atque *non ordinatum*, solitum rerum modum superans in iis, vires quasi exsuperantes neque legibus subiectae. Quare Apollonius Rhodius (Arg. II, 39.) cum Pollucem omnes viribus superantem describat, dicit:

ἠὲ καὶ αὐτῆς
Γαίης εἶναι ἔϊκτο πέλωρ τέκος οἷα πάροιθεν
χωομένη Διῒ τίκτεν.

Γηγενεῖς in universum impii, contra deos pugnantes nominabantur (Suidas s. h. v.). Monstra illa ut Echidna (Apoll. II, 1. 2.), Scorpius (Pseudoerat. Catast. 32.), Aetae draco ad matrem eam referuntur (Apoll. Rhod. I, 510.). Alia etiam Gaeae matri subest notio *summae antiquitatis; πρώτην καὶ πρεσβυτάτην θεῶν ὅσοι ἐντὸς οὐρανοῦ γεγόνασι* dicit Plato (Tim. p. 40. ed. St.); autochthoniae enim honori non aliud maius documentum accedebat ac si heros inter Gaeae filios referretur, quod maxime cadit in Athenienses huius honoris cupidissimos eiusque heroa Cecropem (Hyg. fab. 48.). Neque alia ratio sit Triptolemi, qui

Pausania auctore (I, 14, 2.) in Musaei carminibus Oceani et Gaeae filius dicebatur, nisi Triptolemum eo tempore quo haec carmina conficiebantur, ex Eleusinio heroe iam universalem quendam deum factum esse credideris, qui ex primis quasi rerum naturae elementis ortus videbatur.

Iam de *nutricis* partibus a Gaea actis nobis disputandum erit; latius autem patebit nobis haec notio, qua Gaea et partum sinu recondens et iterum pariens et parvulum tradens continetur. Gaea autem κουροτρόφος non dearum sola hoc officio fungitur sed et Hecate apud Hesiodum (Theog. 450.) et Latona apud Theocritum (18, 50.) et Diana in Orphicis (h. 35, 8.) neque non Apollo et aquae numina κουροτρόφοι nominantur (Gerhard Prodromus p. 73.). Nihilominus non cum alio numine haec notio tam singulari ratione coniungebatur, ut et in fabulis poetarum celebraretur et monumentorum genus in effingenda versaretur. Neque mirabere si et Gaeae naturam in universum consideraveris et κουροτρόφον *Atticis* quasi propriam fuisse teneas. Athenis enim et eius sacrum in ipso arcis aditu exstitit et prae ceteris diis honor ei in sacrificiis dabatur. Gravissimus sane locus est apud Suidam (v. κουροτρόφος Γῆ), quem huc apponamus: *ταύτῃ θῦσαί φασι τὸ πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι χάριν ἀποδίδοντα τῇ Γῇ τῶν τροφείων· καταστῆσαι δὲ νόμιμον τοὺς θύοντάς τινι θεῷ ταύτῃ προθύειν.* Hanc venerabantur mulieres in festis Thesmophoriorum agendis una cum Cerere, Proserpina, Pluto, Calligenia, Mercurio, Gratiis; nominatur autem inter Calligeniam et Mercurium (Arist. Thesmoph. 295 sqq.). Quin *Calligenia* illa num Gaea ipsa esset aut Iovis et Cereris filia aut nutrix Gaeae aut eius famula non constabat inter scriptores (Photius s. h. v. Hesychius s. h. v.). Id quidem paret in Calligenia, quae ut pulcri nascantur liberi curat, nutricis notionem inesse eamque interdum a Gaea ipsa disiunctam singulari quadam dea repraesentari. Nonne in Homerico illo hymno πόλιν κατὰ καλλιγύναικα (v. 11.) Gaeae beneficio imperant homines, non virginum choreae ludentes ad eandem referuntur? Sed redeamus ad Gaeam κουροτρόφον. *Erichthonius* enim, qui Hephaesto et Atthide aut Minerva ortus esse dicitur cf. Apollod. III, 14, 6., iure quodam apud Pseudo-Eratosthenem Catast. 13. ἐξ Ἡφαίστου καὶ Γῆς γενόμενος refertur,

qui satis accurate nobis foedam hanc rem descripsit; iisdem fere verbis usus est Platonis scholiasta (ad Tim. 23. ed. St.). Alio loco (ad Alcib. prim. 121. ed. St.) in Daedali genealogia Hephaestus et Gaea Erechthei parentes dicuntur. Singulari autem aliquorum sententia ad *Gaeam* et *Solem* Atheniensium stirps referebatur (Schol. in Euthyd. p. 302.). Bene nihil nisi τροφεῖα Erichthonii apud Suidam l. l. nobis obveniunt; atque certum quoddam verbum de Gaea nutrice in usu est: ἀναδιδόναι, ἀνιέναι (Lucian. Philops. §. 3.). Idem de alio Gaeae alumno de *Pelasgo* protulit Asius apud Paus. VIII, 1, 3.:

ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσιν
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Neque alia ratio est, si *Palicos* iterum peperisse dicitur Gaea (Macrob. Sat. V, 19.). Cum in his locis Gaeam alumnum sursum porrigentem videamus, in aliis ipsa alumnum excipiens nobis proponitur. Sic de *Iove* parvulo exstant Hesiodi versus 479.:

Ζῆνα μέγαν· τὸν μέν οἱ ἐδέξατο Γαῖα πελώρη
Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ τραφέμεν ἀτιταλλέμεναί τε.

Mira quadam venustate Aristaeum Gaeae traditum ab eaque nutritum decantat Pindarus (Pyth. IX, 59. ed. B.):

τόθι (Cyrene) παῖδα (Aristaeum) τέξεται ὃν κλυτὸς Ἑρμᾶς
εὐθρόνοις Ὥραισι καὶ Γαίᾳ
ἀνελὼν φίλας ὑπὸ ματέρος οἴσει.
ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον κατθηκάμεναι βρέφος αὐταῖς
νέκταρ ἐν χείλεσσι καὶ ἀμβροσίαν στάξοισι θήσονταί τέ νιν ἀθάνατον
Ζῆνα καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλων' ἀνδράσι χάρμα φίλοις ἄγχιστον ὀπάονα μήλων
Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν.

Ad nutricis quoque notionem retulerim, si Gaea aut suos liberos (Hes. Theog. 158 sq.) aut Amalthaeae capram (Pseudoerat. Catast. 13.) sinu suo occultare dicitur. Non tamen his matris et nutricis finibus continebatur quam agebat Gaea in deorum mythis personam; odio et ira aut amore, adjurando aut nocendo animi affectus prodidit. Gaeam, quippe quae ad Titaniam deorum gentem ab Olympiis devictam pertineret, non plane *odio illo* innato atque *simultate* caruisse apparet. Quin gradatio quaedam in odio ab Apollodoro nobis proponitur; (l. I, 1.) χωομένη propter filios in Tartarum coniectos ad Uranum muti-

landum excitat; (I, 6, 1.) *περὶ Τιτάνων ἀγανακτοῦσα* Gigantes parturit; (I, 6, 3.) *μᾶλλον χολωθεῖσα* Typhona prodit. Gemitus quoque et strepitus Gaeae iratae exaudiuntur (Hes. Theog. v. 159.: *στοναχίζετο Γαῖα πελώρη.* v. 679.: *μέγ' ἐσμαράγησεν.* 840.: *σμερδαλέον κονάβησε.* 852.: *ἐπεστενάχιζε δὲ γαῖα*). Ut Titanes ab omni vulnere defenderet, remedium quaesivit neque tamen peragere potuit, cum ab Aurora, Luna, Sole destituta summa caligine involveretur (Apoll. I, 6, 1.). Sed sicuti Gaeam cum Iove reconciliatam, quin a Iove muneri praefectam supra vidimus, sic non tam odium atque ira quam ***misericordia*** et ***adiuvandi promtus animus*** ad eam pertinent. Huius consilio Iupiter ab Olympiis rex instituitur (Hes. Theog. 884.); in Iovis et Iunonis nuptiis celebrandis ipsa quoque aurea poma ut dona affert (Pherecydes ap. Pseudoerat. Cataster. 3.); Gaeae consilio Iupiter Metin parturientem in se recipit, unde nascitur Minerva (Hes. Th. 891.); in Proserpinae raptu secundum Homerici hymni in Cer. vv. 8. 9.: *Διὸς βουλῇσι χαριζομένη Πολυδέκτῃ* narcissum submittit, quo decerpto ex terra scissa Pluto apparet; Iovis iram, cum Lycaona una cum filiis fulguribus occideret, precando ut Apollodorus dicit (l. III, 8, 1.): *ἀνασχοῦσα — τὰς χεῖρας καὶ τῆς δεξιᾶς τοῦ Διὸς ἐφαψαμένη* extinguit. Hac Gaeae miseratione in plantarum mythologia abutuntur fere seriores mythographi; aut ad memoriam servandam aut ut nutrimentum sit aut ex ipsis hominibus commutati promittuntur flores; constanti quasi usu verbis utuntur: *ἐλεοῦσα τὸ πάθος ἄνθος ἀνῆκε:* conferas Palaephatum, Severum, Nicolaum ap. Westerm. (Mythogr. gr. p. 369. 381. 387.).

Iam ex antecedentibus apparet ***consilio*** maxime Gaeam adiuvasse ceteros deos, atque hoc proprium sane ei vindicatur, quippe quae futura perspecta habeat. Iam apud Hesiodum summa quaeque aguntur *Γαίης ἐννεσίῃσι πολυφραδέεσσι* (Th. 495.), *φραδμοσύνῃσιν* (v. 626. 884.). Gaea cum Urano Saturno eademque Rheae vaticinatur. *Πρωτόμαντις* autem prima Delphici oraculi sedem occupavit (Aesch. Eumen. 2.), quam postea filiabus Themidi tum Phoebae tradidit. Diversi sane praeter hanc Aeschyli enarrationem ferebantur de Gaea Delphica mythi, quorum auctor nobis est Pausanias (l. X, 5, 3.): aut enim Gaea oraculo, quod antiquissimum habuit, praeposuit Daphnin aut

una cum Neptuno possedisse, postea quatenus ad eam pertinuit oraculum Themidi tradidisse dicitur. Alius quoque Gaeae oraculi vestigium nobis servavit Pausanias (V, 14, 8.), Olympiis enim *τὰ δὲ ἔτι ἀρχαιότερα καὶ μαντεῖον τῆς Γῆς αὐτόθι εἶναι λέγουσιν· ἐπὶ δὲ τοῦ ὀνομαζομένου στομίου Θέμιδος ὁ βωμὸς πεποίηται.*

Si de Gaea *Chthonia* hoc quoque loco dicturum me profitebar, numquid forte Gaeae quoad ad inferos pertinebat, singulare esset, proferre in animo erat. Duarum solum rerum mentio facienda est; primum quod Cicerone auctore (Legg. II, 25.) Gaeam sepultura facta Athenienses ex Cecropis tempore expiandam frugibus duxerunt; tum quod e plumbeis illis tabulis in sepulcris ad portas Athenarum repertis a Boeckhioque (C. I. n. 538. 539.) publicatis apparet, Gaeam ad diras exsequendas invocari.

His disputatis non absonum erit uno quasi conspectu quibuscum diis coniungatur Gaea, proponere. Sunt autem hi: 1) ex *Titanum* gente *Oceanus, Nox* (Hes. Th. 20.), *Sol* (Hom. Il. γ, 277. τ, 258.), *Uranus* apud Hesiodum et alibi, *Pontus* (Hes. Theog. 237. Hyg. fab. prooem.), *Tartarus* (Hes. Theog. 821. Hyg. prooem.); 2) ex *Olympiis* diis *Iupiter* (Paus. X, 12, 5.), *Neptunus* (Paus. X, 5, 3. Philostr. V. Apoll. Tyan. VI, 17.), *Apollo Μελεάτης* (Paus. III, 11, 8.), *Hephaestus* (Schol. Plat. Alc. pr. p. 121.), *Minerva* (Schol. Pl. Prot. p. 291.), *Horae* (Pind. Pyth. IX, 60.), *Ilithyia* (Paus. VIII, 48, 8.) *Gratiae* (Ar. Thesm. v. 300.); 3) ex *Chthoniis* diis *Ceres Chloe* (Paus. I, 22, 3.), *Pluto* et *Mercurius* (Id. I, 28, 6.), *Mercurius* et *Proserpina* (Boeckh. C. I. n. 538.), *Ceres, Proserpina, Plutus, Calligenia, Mercurius, Gratiae* (Arist. Thesm. v. 295.), *Apollo Διονυσόδοτος, Diana Σελασφόρος, Dionysus Ἄνθιος, Nymphae Ismenides* (Paus. I, 31, 4.; iure Chthoniis Apollinem et Dianam supposuisse propter epitheta mihi videor), *ἐνναέται θεοί* terrae Colchicae (Apoll. Rh. Arg. II, 1273.).

Cum pauca quaedam de Gaeae *cultu* adiicienda sint, illud in universum tenendum est, etiamsi Gaea locum suum in deorum civitate ab omnibus Graecis culta habuerit, tamen aliquibus tantum locis quasi priorum temporum reliquias neque fere sine singulari quadam re apposita et aras et imagines et templa et sacros ritus servatos esse. *Spartae* duo erant Gaeae sacra:

alterum in foro non procul a Dianae, Apollinis, Latonae statuis distans Γῆς ἱερὸν καὶ Διός ἐστιν ἀγοραίου (Paus. III, 11, 8.), alterum in urbis parte Aphetaide, quod Γάσηπτον dicebatur super idque Apollo Meleates conditus erat, ut loco solum Gaeae nomen, non cultus adhaesisse videatur (Paus. l. l.). In *Tegeatarum* foro ad Ilithyiae sacrum Gaeae ara apposita erat cum alba columna, quae signum quoddam antiquitus traditum mihi videtur (Paus. VIII, 48, 8.). *Olympiis* antiquissima ara cinere constructa in loco Gaeo dicto Gaeae consecrata erat prope a Themidis ara et terrae voragine Iovi καταιβάτῃ sacra (Paus. V, 14, 8.). In luco ad maris oras apud *Patras* sito Gaeae sedentis statua interposita erat Cereri et Proserpinae stantibus (Paus. VII, 21, 4.). *Athenarum* sacra et statuae plures erant; praeter Gaeae κουροτρόφου Cererisque Chloes sacrum in ipso arcis aditu positum et Gaeae Olympiae τέμενος in Iovis Olympii area, de quibus supra disputavimus, in Areopago ipso apud Plutonis, Mercurii, Gaeae statuas sacrificabant, quibus in ipso iudicio culpa liberari contigit (Paus. I, 28, 6. Gerh. Prodrom. p. 79.). Alio quoque loco Gaeae precantis statua posita erat propter siccitatem aut Atheniensibus solis aut toti Graeciae illatam (Paus. I, 24, 3.). Quin certamen quoque in Gaeae honorem habitum esse Athenis nobis auctor est Didymus (Schol. Pind. Pyth. IX, 101.) idemque ad Cyrenen referri verba ipsa Pindari documento sunt:

ἐν Ὀλυμπίοισί τε καὶ βαθυκόλπου
Γᾶς ἀέθλοις ἔν τε καὶ πᾶσιν ἐπιχωρίοις,

ubi ex vocis πᾶσιν positione non externos patriis ludos opponi apparet sed ex patriis hos duos maxime efferri. Ad Cyrenen autem Gaeae cultum pertinere iam ex eo apparet, quod Cyrene Hypseo Gaeae nepote orta esse dicebatur (Boekh. ad l. l.). Cuiusnam generis ludi fuerint, nullum quidem vestigium exstat, attamen de lampadephoria potissimum cogitaverim, quippe quae Cereri et Proserpinae, quibuscum coniunctissima erat Gaea, maxime responderent. Unus iam Atticae locus nominandus est *Phlya*, ubi Gaea μεγάλη θεός dicta una cum Apolline Διονυσοδότῳ, Diana Σελασφόρῳ, Dionyso Anthio, Nymphis Ismeniis colebatur; thesmophoricam deam esse Bacchico mytho permixtam ex ceteris diis apparet. Mytho quoque Gaea regioni addicta erat; heros enim Phlyus ab Atheniensibus filius Gaeae dicebatur

eiusque nepos Caucon *ὄργια τῶν μεγάλων θεῶν* Andaniae instituerat, cf. Paus. IV, 14. Sacrorum agmen claudat templum *Byzantinum*, de quo ex Dionysio Byzantino haec leguntur apud Gyllium de Bosp. Thrac. II, 2. (Band. Imp. Or. p. 273.): „primus post moenia campus erat peninsulae cervicis sensim de- „scendentis ad litus. — Post erat templum Telluris super mare, „cuius quidem fastigium tecto carens significabat antiquam ter- „rae libertatem. Eius parietes quibus claudebatur erant facti „ex lapide expolito. Paullo supra Telluris aedem erant templa „Cereris et Proserpinae paria, in quibus picturae multae priscae „felicitatis insignes reliquiae et statuae exactae artis nihilo summa „arte elaboratis inferiores erant. Item in abscessu maris duae „aedes Plutonis et Iunonis, quarum solum nomen exstat.“ Totum locum attuli, cum plura inde hauseris. Primum Heynii sententia refutanda plane est, qui caussa non allata Telluris templum nullum aliud quam Rheae fuisse arbitratur (Priscae art. op. s. l. in Commentatt. Gotting. vol. XI.); in deorum enim qui hic nominantur, societate Gaeam, non Rheam locum suum habere scire oportebat. Tum verba illa „fastigium tecto carens“ nihil nisi ὕπαιθρον fuisse templum significant; quam autem addit Dionysius caussam, e grammatici subtilioris ingenio profecta videtur. Illud autem teneamus in Cereris et Proserpinae templis picturas multas *priscae felicitatis insignes reliquias* et statuas fuisse. Quid enim? nonne fortasse pictura illa clarissima in palatio conservata inter has celeberrimas picturas fuerit, praesertim cum Gaeam una hoc loco cultam repraesentaret? Restat unum quod moneamus, Iunonem hic non Iovis Olympii sed inferorum Iovis, Plutonis ipsius coniugem repraesentari. De Telluris templo in quarta *Romae* regione ad Carinas posito (Becker Roem. Topogr. p. 524.) verba non faciam, cum in universum Telluris Latinorum quaestionem plane a nostra disputatione disiungendam esse existimaverim. Ad *Hellespontum* quoque Gaeae cum Neptuno coniunctae cultum fuisse ex Philostrati loco (V. Apoll. Ty. VI, 17.) verisimile fit, ubi *δεκαταλάντους θυσίας* oblaturos se iis ad Hellespontum profitentur.

CAPUT TERTIUM.

DE GAEAE IMAGINIBUS.

Non deesse plane veterum testimonia de Gaeae statuis iam ex antecedente capite apparet. Gaeam sedentem adstantibus Cerere et Proserpina Patris, Gaeam precantem, Gaeae statuam una cum Mercurio et Plutone in Areopago Athenis habemus neque non Olympiae, κουροτρόφου, Phlyorum, Byzantii sacra statuis plane caruisse crediderim. Nihilominus non admodum communes eius fuisse imagines ex Polybii loco satis memorabili apparet (l. XXXI, 3.), quo pompae magnificae ab Antiocho Epiphane Daphnae habitae exhibetur descriptio, dicit enim *τὸ δὲ τῶν ἀγαλμάτων οὐ δυνατὸν ἐξηγήσασθαι, πάντων γὰρ τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων προςέτι δὲ ἡρώων διήγετο τὰ μὲν κεχρυσωμένα τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις· — εἵπετο δὲ αὐτοῖς καὶ νυκτὸς εἴδωλον καὶ ἡμέρας γῆς τε καὶ οὐρανοῦ καὶ ἠοῦς καὶ μεσημβρίας.* Albricii, qui satis accuratam Cereris imaginis descriptionem nobis proposuit, rationem non habemus, cum Terram plane cum Cybele confuderit (De deor. im. 12.); idem cadit in Excerpta de ant. Const. apud Band. Imp. Or. p. 126., ubi Gaea Vesta dicta tympanum gerens proponitur.

Transeamus igitur ex scriptorum locis ad monumenta ipsa, quae ampliorem nobis disserendi materiam praebent. Bene autem accidit, ut historicum quemdam ordinem servare possimus; primum enim de antiquissimis Gaeae imaginibus, quae ad idolorum naturam fere accedunt, dicendum erit, tum qualis in ipso artium flore ab Attica disciplina efficta sit, denique quem locum in creberrimis ex Romanorum aetate monumentis habuerit dea videamus.

I. In *prima* quaestione Gerhardo duce utendum erit, qui figlinis maxime figuris, quae reperiuntur in sepulcris, et Gaeam in universum et Gaeam Olympiam repraesentari professus est, neque tamen si quae dubitationes animum subeunt in viri mea laude maioris sententias, reticendas existimavi, cum harum rerum campus latissime pateat idque ante omnia spe-

ctandum sit, ut certis quibusdam disquisitionis fundamentis utamur.

1) Primo loco proponamus figlinum opus in Attica repertum valde obtusum, quo dea sedens adstantibus duabus aliis coniuncta est; vestitus longe defluit neque velum deest, cf. Gerhard Prodr. p. 29. Non possunt non in mentem venire Patrenses statuae de quibus p. 23. disputavimus Gaeae, Cereris, Proserpinae. Athenis etiam in Thesmophoriis Gaea cum iis coniuncta invocabatur.

2) Sequitur figlinum opus in sepulcris Atticis saepissime repertum archaico vere stilo elaboratum, quod delineatum exstat apud Gerhardum (Ant. Bildw. Cent. IV. Erklär. p. 389.). Sedet figura manibus genibus affixis neque fere efformatis in sede lata adminiculis fulta. Facies longa mento acuto, oris angulis notatis, oculis fissis. Cincinnorum binis ordinibus defluit velum longum, cui orbis impositus est in eoque tria gemmarum lineamenta apparent. Collum monilibus ornatum, vestis textura et coloribus varia; calcei quoque lineis distincti. Gerhardus aegida deprehendisse sibi videtur; equidem nihil eiusmodi distinguere possum; linearum enim ornamenta quae in pectore visuntur, eadem sub vestis finem apparent. Imo unam vestem lineamentis ornatam esse constat. Ac ne alterum quidem quod affert, ut Gaeam Olympiam esse probet, orbem vel polum capiti impositum satis valere crediderim, quippe qui non solum deabus caelestibus, Iunoni maxime sed Cereri etiam tribuatur (Müller Denkm. II, 1. t. 8, 87.). Quae autem alia afferuntur monumenta, aut ad Gallicum aut ad Aegyptium cultum pertinent aut triplicem Hecaten, quae seriore tempore ad universalem divini numinis notionem accessit, repraesentant ut n. 5. 6.; quod n. 3. affertur anaglyphum ex seriore Romanorum aetate, potius si res singulis attributas spectas, de Parcis quam de Thesmophoris deabus cogitaveris. Restant duae Sardianorum monetae ex imperatorum tempore, in quibus una eademque dea sedens, velata, pallio amplissimo involuta, modio, non orbe capiti imposito aut in mensa sacra inter vasa posita est aut in Solis manu sinistra portatur. At ne haec quoque figura nostrae plane respondet, si et pallium et palmas non genibus affixas sed porrectas et modium, non orbem spectas. In universum non

huius aetatis idolum Sardibus cultum, ubi de Magna matre, de Cybele, de quacunque Asiae minoris dea cogitandum sit, ad Uraniae Gaeae, cuius nisi Athenis vestigium non exstat, monumenta confirmanda attulerim. His igitur disputatis caussa mihi esse non videtur, cur figuram illam Olympiam Gaeam nominemus; quin ut verum fateor, non Olympiam deam mortuis addi sed Gaeam chthoniam, *κάτοχον* aut *κουροτρόφον* existimaverim. Sed in universum de Gaeae nomine tribuendo dubitandum erit.

3) Quatuor afferuntur a Gerhardo (Ant. Bildw. t. 95, 1—4.) figurae figlinae in Sicilia repertae, archaico qui dicitur stilo elaboratae. Omnes sedentes manibus ad genua affixis proponuntur. In prima nihil fere nisi modium et velum distinxeris, artus ipsi non disiuncti sunt. Ex secundae capite lato diademate circumdato cincinni praependent; velo et armillis ornata est; ubera mammarum eminent. In tertia magnam in vestitu effingendo diligentiam adhibitam reperies; tunicae in minutos sinus complicatae, amiculum ex lana factum superindutum veli duabus laciniis dependentibus. Quartae capiti exaltatus insidet orbis; subter velum libere defluunt capilli; vesti manicatae peltae in humeris affixae. Ad Thesmophoriorum deas pertinere haec monumenta apparet, praesertim cum Siciliam eis consecratam cogitaveris. At illud quidem tenendum Gaeae in Sicilia certum quendam cultum non exhiberi; quare nisi certa quaedam res accedit, in his figuris de Cerere aut Proserpina cogitandum erit. Sedentis Cereris plurima nobis exstant exempla (Müller Denkm. II, 1. t. 8, 87. 91. t. 10, 117.). Vestitus et cincinni longi praependentes Cereri plane respondent (Müller l. l. n. 96.).

4) Quod attulit Gerhardus (Prodromus p. 19. annot. 20. Creuzer Symb. I. p. 46.) Gaeae cum Iove coniunctae, quae Dodonae cantu celebrabatur, exemplum, plane reiiciendum mihi videtur. Quomodo enim Medusae alae et lunae signum Gaeae conveniant plane non scio. Aut Sol Lunae oppositus est, ut in gemma Iunonem coeli rectricem repraesentante exhibetur, cf. Müller Denkm. II, 1. t. 5, 65., aut Pluto inferorum Iupiter Dianae *σελασφόρῳ*, quae posteriore tempore cum Proserpina in unum quasi coaluit.

5) E sculptis monumentis in uno versabimur, satis memo-

rabili, quod apud Miletum ad Branchidarum viam exstat (Müller Denkm. I, t. 9. n. 34.). Conspiciuntur ibi quatuor deae in thronis sedentes pulcre elaboratis; uni nihil fere nisi caput deest, duabus superiores corporis partes; ex una nihil nisi crura restant. Omnium manus genibus adiacent; vestes plicatae, manicatae, superiniectis amiculis ad pedes defluunt, quibus duae utuntur nudis, duae calceatis. Adiacet leo. Deas has *εὐθρόνους*, quod Horis et Gaeae tribuit epitheton Pindarus loco supra laudato, ad figlinas illas figuras maxime accedere quivis videt; quare Thesmophoricas deas repraesentari crediderim, quae a Milesiorum cultu minime abhorrebant (Hermann Griech. Antiqu. II. p. 344.). Cum autem binae deae et positione et pedum aut nudarum aut calceatarum ratione coniungantur, forsitan ex altera parte Ceres ac Proserpina, ex altera Gaea et Calligenia positae sint eademque de caussa non de Gaea tribusque Horis cogitaverim. Nihilominus ne hoc quidem monumento pro certo utar sed in universum talem effingi archaico stilo Gaeam dicendum erit. Comparari quoque potest Leucothea in celebri villae Albanae anaglypho et deae in Xanthi monumento propositae, Ceres, Proserpina, Horae (Müller Archaeol. II. ed. p. 71.).

II. Iam ad *secundam* monumentorum classem nobis progrediendum est, quae sicut arte et ingenio summam admirationem excitant, sic certissima ad disquirendum praebent documenta. Ex Attica autem disciplina profecta ea maximam partem esse ex mytho ipso apparet, cui interesse videmus Gaeam. Priusquam autem de his disputemus, num inter summa illa Phidiae opera, quibus Parthenon exornatur, Gaeae exstet figura, quaerendum est; nam et in Minervae ortu et in victoria eius de Neptuno reportata, quibus et divina numina Atticis maxime culta ut Ceres, Proserpina et Attici heroes Cecrops, eius filiae, Erysichtho, Erichthonius intererant, Gaea locum sane habebat. Atque ex nonaginta duabus metopis, quarum plurimae quidem interierunt, triginta duae autem in praeclaro Bröndstedii libro: Reisen u. Untersuch. in Griechenl. l. II. p. 198—279. sagacem invenerunt interpretem, quas in Atticis mythis celebrandis magnam partem versari conspicimus, nonne ad Erichthonii matrem aut nutricem Gaeam pertinere aliquam credideris? Brönd-

stedius (l. l. p. 500. annot.) in *occidentali* templi fastigio, figura, quae in Britanniam deportata jam museo n. 75. ornamento est, in Mülleri monumentis (I. t. 27, 121.) litera p. q. v. notata Gaeam parvulos duos brachiis tenentem repraesentari profitetur; sed iniuria, neque enim liberorum par ad deam pertinet neque inter Amphitriten Dionenque ac Venerem locum habet. Contra a Müllero aliisque bene ad Latonam cum Apolline et Diana refertur, quippe quae sic ab Euphranore in celeberrima pictura effecta esset (Plin. h. n. XXXV, 8. 5. 19. Ann. I. Arch. I. p. 396.). Potius in altera fastigii parte ad Cecropem eiusque filias Gaea apponenda erat. Si *orientale* spectamus tympanum, iure quodam ex poetarum auctoritate deam nostram inter eas exspectaverimus, quae Minervae ortum exstupescunt. In Homerico hymno vicesimo octavo, qui Solem stupentem equos attinuisse auctor est, v. 10. legimus: *ἀμφὶ δὲ γαῖα σμερδαλέον ἰάχησεν.* Neque Pindarus Gaeam praetermittit in celeberrima Minervae orientis descriptione (Ol. VII, 35 sqq.):

ἁνίχ' Ἁφαίστου τέχναισιν
χαλκελάτῳ πελέκει πατέρος Ἀθαναία κορυφὰν κατ' ἄκραν
ἀνορούσαισ' ἀλάλαξεν ὑπερμάκει βοᾷ·
Οὐρανὸς δ' ἔφριξέ νιν καὶ Γαῖα μάτηρ.

Coeli autem terribilem magnificumque deae adspectum conclamantis imago et Solis orientis et Noctis descendentis equis nobis proponitur. Gaeam igitur inter sex, quae restant, deas quaesiveris: Ilisso, Cereri, Proserpinae, Iridi tres Parcas respondere ex altera parte multi credunt; num caussa quadam interna nisi sint nescio, neque num qui nuperrime de his fastigiis scripserunt et Gerhardus (Drei Vorlesungen etc.) et Welcker (Classical Museum VI. p. 367 sq.), hanc opinionem sequantur. Mihi, si meam qualemcunque opinionem proferre liceat, Gaea Ilisso optime respondere videtur; accedit quod magnifica illa iacendi quies et vestis negligenter de humero delapsa eius naturae optime conveniat. — In *metopis* autem, quoad eas ex fati dono cognoscere licet, Cereris quidem Triptolemum docentis, Erichthonii equos iungentis, Cecropidarum personas reperias, Gaeae nullam. Atque in universum quae nunc nobis tractanda sunt anaglypha stilo vere Graeco elaborata, hinc ex Phidiae metopis petita esse non crediderim, cum et ectyporum genus et stilus

ipse ab omni rigore alienus his non conveniat; potius venustatem quandam Scopae iis inessé dixerim.

Tandem ex coniecturarum obscuritate ad certorum quorundam monumentorum adspectum emergimur. Gaea enim *κουροτρόφος, ἀναδιδοῦσα* Minervae parvulum adstantibus aliis numinibus in duobus anaglyphis et trium vasorum picturis nobis obvenit. Multi de his egerunt viri docti, ex quibus affero Panofka in Annal. Inst. Archaeol. I. p. 292—304., Braunium in iisdem Annal. XIII, 91—99., Gerhardum in Ant. Vasenb. t. III. p. 1 sqq., Iahnium in Archaeol. Aufs. p. 60—82. Quae autem inter eos exorta est disputatio, utrum omnia ad Erichthonii an ex parte ad Bacchi infantiam referenda sint monumenta, cum de Gaeae ipsius persona omnes consentiant, non meum esse duco fusius inquirere. Me autem plane cum viro doctissimo Panofka facere omniaque ad Erichthonium referre iam alio loco uberius exposui (Ephemer. Ien. 1847. n. 300. p. 1198.). Iam singula monumenta videamus:

1) Quod Parisiis servatur anaglyphum ex villa Albana profectum, Pario lapide elaboratum (Clarac Mus. d. sc. pl. 123., 104. Mus. Napol. I, 75.), Gaeam praebet ex terra surgentem genu dextro inclinato, parvulum ambabus manibus sursum tenentem. Caput in altum erectum corona murali cincinnis libere in humeros defluentibus imposita ornatur; pulcra oris lineamenta et iuvenilem animum et matris amorem de parvuli sorte sollicitum quodammodo produnt. Induta est tunica longa sinuosa, succincta diploidio superincidente, e qua brachia nuda porriguntur. Nymphae pulcherrimae iuvenilis quidem sed matronali quodam affectu commotae nobis propositum est exemplar. Si *vestem* spectamus, *βαθύκολπον* vere Gaeam, qualem dixit Pindarus Pyth. IX, 102., conspicimus. Neque magis ingeniosa ratione chthonia quasi Gaeae natura significari poterat quam parte eius in solo abdita. Sic quoque Mercurii chthonii dimidia figura e terra suspicit Plutonem et Proserpinam in Gerhardi Vasenb. t. 240.; neque alia ratio est Ortygiae alterum infans Latonae offerentis in anaglypho Parisiensi (Bouillon Mus. d. A. III. pl. 25. Ann. I. A. I. p. 395. t. agg.). Atque si Ortygiam hanc manicata tunica simplici et calantica, quam Graeci *σφενδόνην* dicunt, vestitam cum Gaea comparamus, hic famulam

aliquam nutricem, illic divinam quasi matrem repraesentari apparet. Ne *crines* quidem soluti, longe defluentes sine caussa Gaeae tribuuntur, quippe qui chthoniae, ad funebres ritus spectanti conveniant. Accedit quod nigro colore in vaso pinguntur (Ann. d. I. I. p. 302.). Corona *muralis* hoc loco primo nobis obvenit, quo dea urbibus firmam sedem praebens significatur; neque tamen in ea magni aliquid poni e ceteris monumentis apparet; quin ex corona dentibus ornata tum demum muralem ortam esse existimaverim, cum urbium deae effingi coeperunt, quod Macedonum aetate maxime factum est. — Si ceteras, quae in anaglypho conspiciuntur, figuras spectamus, primum nobis obvenit dea, accedens longa sinuosa veste negligenter a dextro humero delapsa; Minervae quidem signa non addita sunt sed alia plane atque Gaeae natura totius figurae est; gracilis virgo procedit crinibus eleganter in nodum constrictis, ab omni ubertate aliena, parvulum a Gaea sibi oblatum exceptura. Quae praeterea exstant figurae, ex altera parte deus sedens in saxo, sceptrum gerens, ex altera iuvenis, in columna innixus, quem nympham esse alii falso crediderunt, non sine amore quodam et gaudio parvulo tradendo adsunt.

2) Quod alterum exstat huius rei anaglyphum in museo Chiaramonti conservatum (Mus. Chiar. I, 94. Mon. I. I, 12, 2. Ann. I. p. 301.), valde quidem mutilatum, in eo ut Gaeae figura paene tota adspiciatur, fortuna quadam contigit. Deae species eadem plane est, nisi quod *diademate* capilli plane soluti coronantur, non corona murali. Excipientis figurae nihil nisi inferiorem partem larga sinuosa veste indutam, adstantis nihil nisi pedes conspicis. Tanta autem est monumenti ars Graecum vere ingenium spirantis Graecum vere stilum prae se ferentis, ut non solum fabulae compositionem sed hoc ipsum opus e Graecarum artium flore originem traxisse libere dicas. Neque apud ipsos Graecos celebritate caruisse compositionem iam ex eo apparet, quod in tribus vasis paucis mutatis repetitam videmus. Ex vasis nigris figurae rubrae existunt. Id quidem commune habent, quod Gaea semper contraria parte atque in anaglyphis proponitur.

3) In stamno nuper principis Canino (Mon. In. I, 10. Ann. I, 292.) Minerva dea aegide, qua excipit Erichthonium, clare

significata est; adstat Hephaestus sive Neptunus; duobus Amoribus in floribus consistentibus imago clauditur. Gaea omni capitis ornamento destituta est; capilli nigri inordinati delabuntur; largo amiculo superior quoque brachiorum pars contegitur armillarum spiris ornatorum.

4) Calpis Clusina (Gerhard Vasenb. t. 151. Expl. III. p. 1 sq. Iahn Archaeol. Aufs. p. 70.) et Minervam stellata aegide excipientem et Iovem fulgura tenentem ostendit. Victoriae coronatae taeniam offerenti respondet nympha adspiciens manu sinistra in Iovis humero imposita. Gaea et taenia capillos constringente et amiculo mammarum ubera contegente et armillis distinguitur. Num quae inscripta sunt *ΟΙΝΑΝΘΕ ΚΑΛΕ*, ad nympham illam Iovi adstantem cum Jahnio referenda sint, valde dubitandum mihi videtur neque inde ad bacchicam monumenti naturam confirmandam caussam petierim. Potius lege quadam artis propter oppositam Victoriam addita sit nympha regioni praeposita, forsitan Atthis ipsa Erichthonii mater.

5) Aliud exstat vasum Clusinum nuper Petri Bonci Casuccini (Mon. In. III, 30. Ann. XIII. p. 91.), in quo Vulcanus forcipe clare distinguitur. Respondet ei deus δρακοντόπους, qualis in mythis cum Gaea saepe coniungitur anguillarum matre aut Nereus aut heros quidam Atticus ut Cecrops neque desunt duae Victoriae in extremis imaginis partibus positae. Gaea ornatior nobis proponitur quam in ceteris vasis; corona dentibus distincta capillis fuse delabentibus insidet; vestis laticlavia circulis ornata fascia colligitur amiculo eodemque ornato superimposito. Non sine caussa et coronae et vestis ornamenta marinam naturam praebent.

Ad *novum* monumentorum genus transituris vasi pictura nobis offertur, quae quasi transitum ipsum parat. Vasi enim Nolani e comitis Pourtalesii collectione alteram partem sic describit Panofka in Ann. I. I. p. 302., ut homini galea coperto, rastrum elatum tenenti opponatur figura e terra surgens manibus elatis quasi deprecans. Gaeam esse existimat quae ne ex quiete exturbetur expetit a homine sepulcrum curante. Cum vasum ipsum inspicere non licuerit, num revera e solo surgens proponatur figura, an genibus flexis in terram depressa, nescio. Hominis autem rastro armati status potius ad caedem

referendus sit, qualem saepissime in Aegisthi rebus propositam videmus atque precantem mulierem Cassandram dixeris. At Gaeae *precantis*, manus sursum tollentis, qualem Athenis exstitisse supra diximus, nonne exempla inveniantur, quaerendum sane est. Revera in. Monum. in. I. t. 44. (Lenormant Ann. I. 1832 p. 61—68.) statua in genua innixa nobis proponitur eaque Pario marmore confecta ex Mycono insula petita est. Caput dolore quodam sublatum, crines sine omni retinaculo fluitantes, sinistrum brachium nudum ad pectus appressum, dextrum elatum, vestis de humero dextro delapsa, amictus ad femora illigatus produnt animum tristitia et dolore maxime perturbatum. Attamen nonne Gaea liberorum suorum prae siccitate marcescentium diu dolore affecta velo ut tristitiae signo nupta manus in caelum efferat? In hac autem statua *subitanea* quaedam animi perturbatio apparet; divini cuiusdam prodigii terrore in genua coniecta videtur. In universum non satis accurate de Gaea precante statuisque in genua innixis disputavit Lenormantus. *Genua flectere* in supplicationibus a Graecorum more plane abhorrebat neque seriore tempore nisi superstitiosorum, barbaros ritus sectantium erat (Herm. Griech. Ant. II. p. 94.); qui conspiciuntur in monumentis genua flectentes deorumque imagines manibus amplectentes, ab iis supplicationis notio plane abest, sed deorum imaginibus apprensis iisque quasi affixi defendere sese a persequentium furore student. Quare ex eo quod precetur, Gaeam genua flectere minime conieceris. At nonne Gaea pro sua ipsius natura in genua innixa effingatur, quaeritur. Duas maxime caussas affert vir doctissimus, alteram quod feminae usque ad cingulum solo occultae statua nisi genibus flexis proponi non possit, alteram quod Gaea precans genitricibus deabus Auge-Ilithyiae, Auxesiae, Damiae plane respondeat, quarum huiusmodi statuae inveniantur. Atqui ex antecedentibus plane apparet Gaeam non in universum medio corpore solo occuli sed κουροτρόφον, Erichthonium ἀναδιδοῦσαν. Quin statuarum quoque complexum habemus, quo eadem plane ratione atque in anaglyphis proponitur. Quod ad deas illas genetrices attinet, modo locos ipsos accuratius inspiciamus, certam quandam hoc corporis habitu notionem significari eamque a Gaea precante maxime alienam apparet. Apud Tegeatas enim

Ilithyiae sacrum atque statua non longe a Gaeae sacro aberat (Paus. VIII, 48, 5. 6.) eaque *Αὔγη* (quod cum Valckenario necessario pro *αὐτή* scribitur) *ἐν γόνασι* dicebatur, quod cum Auge a patre Aleo aquis mergi jussa a Nauplio ad mare traheretur, in genua concidens puerum peperisset. Duae res hoc loco disiungenda sunt: et ne *traheretur* resistens in genua concidit et innixa in genua *peperit*. Illius rei exemplum satis luculentum exstat apud Herodotum (V, 86.), cum de Damiae et Auxesiae statuis antiquissimis Aeginae cultis deque Atheniensibus auferre eas studentibus loquatur; sic autem pergit: *οὐ δυναμένους δὲ (τοὺς Ἀθηναίους) ἀνασπάσαι ἐκ τῶν βάθρων αὐτά, οὕτω δὲ περιβαλλομένους σχοινία ἕλκειν ἐς οὗ ἑλκόμενα τὰ ἀγάλματα ἀμφότερα τωὐτὸ ποιῆσαι — ἐς γούνατα γάρ σφι αὐτὰ πεσέειν καὶ τὸν ἀπὸ τούτου χρόνον διατελέειν οὕτω ἔχοντα.* Parturientis autem in genua innixae Latonae imago nobis proponitur in hymno Homerico (in Ap. Del. v. 118. 119.):

ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε γοῦνα δ' ἔρεισε
λειμῶνι μαλακῷ μείδησέ τε Γαῖ' ὑπένερθεν.

Illud igitur omnibus locis commune est, ut firmari in solo studeant genua flectentes. Gaea arridet quidem l. l. Latonae genibus obnitenti, minime autem genua flectere cogitari potest, cum ipsa sit firma rerum sedes, qua omnia nitantur. His de caussis in statua illa a Lenormanto proposita de Gaea precante non cogitabimus; immo Niobidarum unam esse dixerim, quae terrore, fortasse vulneris dolore in genua coniecta firmare defendereque se studet contra numinum ex alto tela coniicientium iras. Magnum autem argumentum ex Ilionei statua Monaci conservata petetur (Müller Denkm. t. 34. E.), cui nondum similem filiae statuam novimus. Etiamsi igitur non certum quoddam Gaeae precantis exemplum in monumentorum reliquiis exstet, tamen eius ideam in Attica disciplina primo propositam esse scimus.

Accedimus ad *tertium* monumentorum genus, quo Gaea vere chthonia una cum Mercurio effecta est. Feliciter autem contigit, ut sepulcrale monumentum vere Graecum inscriptionibus additis in museo Veronensi (Mus. Veron. p. 51. n. 9.) conservetur. Conspicimus enim feminam in rupe sedentem longa veste indutam, velo a capite usque ad pedes involutam; caput

sinistra manu nititur, qui constans fere moerentium mos est, dextra in genu reposita. Accedit Mercurius tunica brevi et chlamyde supra dextram manum iacta vestitus; dextra manu feminae pateram offert, dum sinistra caduceum gerit; neque calcei alati desunt. Inscripta sunt: *ΓΗ ΕΡΜΗΣ*. Mercurius cum hic *ψυχοπόμπου* et inferias offerentis munus gerat, Gaea demortuam quasi ipsam nobis repraesentat; nisi quod dea quidem pro sua ipsius natura in rupe consedit, demortui in subselliis visuntur. Eandem plane figuram invenies apud Clarac M. Sc. **153, 459. 180, 590**; secundo loco ex calatho addito Cererem moerentem esse conieceris.

Omisso velo et moeroris gestu Gaea in rupe ***sedens*** in universum rei gerendae adest; sic in Nasonum sepulcro Herculis et Antaei pugnae interest (Winkelm. Alte Denkm. II. p. **25.**), sic in musei Capitolini ara (Mus. Cap. IV, **17.**) Corybantibus Iovem armorum strepitu occultantibus adest femina decore vestita, in lapide sedens, modio ornata, quam Millin (Gal. Myth. n. **17.**) Cybelen esse dixit, quanquam et tympana et leones et thronus desiderantur; ego potius deam loci agnoverim. In universum enim locorum numina Gaeam ipsam ad certam quandam regionem relatam nobis proponunt neque semper externis rebus aliud ab alio distinguuntur. Huc pertinet Oenone in palatii Spadae anaglypho (Braun Zwölf Basrel. n. **7.**), Nemea in vaso Ruvensi (Id. n. **6.**), Arcadia velata, floribus coronata et calatho et sceptro distincta, quae Telepho infanti adstat in pictura murali (Pitture di Ercol. I, **6.** Mill. G. M. **96, 451.**).

Restat ut de uno adhuc monumentorum genere dicam, quod ex Graeco quidem ingenio profectum tum demum locum habebat, cum Alexandri eiusque successorum expeditionibus ***universae*** ab hominibus habitatae terrae notio in populi animis consignaretur quasi. Non solum reges terrarum orbi imperare videbantur sed etiam poetae, philosophi, quorum scripta una cum Graecis exercitibus ad extremos Asiae fines propagabantur. ***Οἰκουμένη*** igitur fit Gaea eaque viris excellentibus victoriae corona oblata se inferiorem esse profitetur. Talis prodit in duobus praeclarissimis anaglyphis, quae si et inventionis acumen et figurarum compositionem spectamus, haud facile aliis vincantur: dico Homeri Apotheosin, olim domus Columnae,

iam Britannici musei decus (Cuper Apoth. Homeri) et gemmam ectypam Augusteam musei Viennensis (Eckhel Pierres gravées pl. 1. Mus. Veron. 245.), qua Augustus alter Iupiter una cum Roma in throno sedens praesentibus Tiberio et Germanico celebratur. Contigit autem ut alterius monumenti sciamus artificem Archelaum Apollonii filium Prieneum, unde praesertim cum internae caussae accedant, ad Asiaticam disciplinam, quae Ephesi et Pergamo post Alexandrum floruit, pertinere coniici potest, alterius autem tempus e rebus ipsis propositis eluceat. Eadem fere est in utroque Oecumenes species; accedit utraque manu coronam sedentis capiti imminentem tenens, longa veste, succincta, non manicata induta; velum in Homeri apotheosi ex occipitio pendens, fibula colligatum in tergum delabitur, in gemma Augustea ex ipso modio pendet, qui ne in altero quidem desideratur. Iam vides in universum ideam in Attica disciplina propositam conservatam esse, nisi quod modio, quem diadematis loco impositum videmus, in maius quodammodo aucta sit. Non autem ex terra surgit, non saxo affixa est, imo superbe terrarum orbem peragrat aut Chrono iuveni alato coniuncta aut Abundantia ad eius pedes requiescente.

His disputatis si uno intuitu quasi quinque illa, quae nobis in secunda artis aetate obvenerunt monumentorum genera amplectimur, hanc Gaeae ideam nobis informemus: corpus iuvenile quidem sed ubertate quadam excellens, vultus, ubi exprimere licebat, matris amore solliciti; crines simpliciter retro acti, in humeros fluitantes; vestis longa, succincta diploidio saepissime addito, amictu superiniecto aut veli ratione ex capite dependente; nihil signi externi nisi simplex diadema, corona, postea corona muralis aut modius impositus. Venustam autem et rebus ipsis maxime accommodatam actionum varietatem (quam nos „Motivirung“ dicimus) invenies; aut enim Gaeam e terra surgentem aut manu sublata precantem aut in saxo considentem aut libere ad subsellium accedentem vides.

III. Plane alia monumentorum, quae ad *Romanorum seriora maxime tempora* pertinent, ratio est in iisque iam nunc nobis versandum erit ut in tertia huius disquisitionis parte. Plurima quidem nobis obveniunt monumenta e diversis generibus petita; sunt enim sepulcrorum anaglypha, gemmae, mone-

tae, diptycha, imagines, quae huc pertineant; non tamen eam varietatem neque distinctam quasi indolem invenias atque in Graecis monumentis. Nec mirum: eo enim tempore, quo deorum fabulae e populi religione atque sensu evanescentes aut ad sophistarum allegorias reformabantur aut nobilium vanitati inserviebant aut externa superstitione foedabantur, quo internus ille pulcri sensus non iam in populo vigebat sed nihil aliud spectabatur, nisi ut quam plurima monumenta conficerentur, et deorum figurae aut ornandi caussa aut ut locus expleretur, ab artificibus addebantur et cum corpore ipso, vultu, actione deorum ideas exprimere non possent, externa in eos cumulabant signa. Id autem maxime cadit in ea numina, quae non constanti artificum usu sancita facile cum aliis miscebantur. Sic Gaea et ad Cybeles et ad Fortunae imagines fere accessit; Fortunae autem ipsius cum notio latissime pateret, Abundantiae, Securitatis, Felicitatis, Annonae, Monetae, Eutheniae, Urbium nominibus eius imaginem insigniri non mirabere. Nihilominus et signa illa et fabulae, quibus intersunt figurae, et personarum, quae agentes inducuntur, compositio discernendi ansam nobis praebent. Statim ab initio, ubi *tympana, leones, solium* reperiuntur, de Cybele agi apparebit; *gubernaculo* Fortuna eiusque ut ita dicam asseclae distinguuntur. Sic autem res optime institui videtur, ut monumentorum genera secuti primum de sepulcrorum anaglyphis tum de gemmis, de monetis, diptychis, denique de imaginibus agamus. Tria autem in omnibus spectanda sunt: quibusnam fabulis aut rebus gerendis intersit Gaea, qualis effingatur, quibuscum diis aut coniungatur aut opponatur.

Priusquam ad anaglypha sepulcrorum, quod latissime patet monumentorum genus, transeamus, statuarum complexus mentio facienda est, qui in museo Chiaramonti asservatur (Gerhard Ant. Bildw. t. 93, 1.). Conspicitur iuvenis nudus brachiis elatis, tristi vultu; pallium ex arboris trunco pendet. Parvulus quidem genius alatus, taedas gerens festinanter discedit, cum Gaea in solo iacens, diademate ornata, superiore corporis parte denudata, manu innixa stupore quodam affecta alteram tollat manum, conspicit enim larvam ex terra surgentem. Sepulcrale esse monumentum primo aspectu apparet, in quo Gaea mater mortuos in se ipsam quasi recipiens locum sane habet; stupen-

tem autem eam propter rem inexspectatam saepissime videbimus. In universum Gaeae figura plane sarcophagorum anaglyphis respondet, quare non diutius in ea commoremur. Illud quidem tenendum est sarcophagos istos, qui plerumque dicuntur Etrusci, in quibus fabulas maxime bacchicas aut ad sortem hominum praecocem spectantes exsculptas videmus, ad secundum tertiumve fere post Christum natum seculum pertinere; figurarum compositio e Graecorum operum imitatione profecta est, cum in singulis figuris elaborandis exornandisque labentis artis vestigia appareant. Quare cum anaglyphorum figuris implendorum studium apud Romanos in dies augeretur, ea facillime addebantur numina, quae aut in solo aut in coelo posita personarum, quae in fabula partes agebant, complexum non turbaverunt, quae pro sua ipsorum indole rebus illis adesse facile fingebantur. His Gaeam maxime annumerandam esse quivis videt. Fabularum, quibus interest ea brevem recensum fecit Iahnius in Archaeol. Beitr. p. 60. Initium faciamus ab ***Endymionis*** fabula, qua Diana de cursu descendens iuveni pastori appropinquare aut curru ascenso discedere fingitur; interdum hae duae scenae in uno anaglypho conspiciuntur atque tum Gaea bis proponitur ut in sarcophago Ostiensi (Gerhard Ant. Bildw. 36.). Huc pertinent anaglypha ex museo Louvre (Clarac Mus. de sc. 165, 437. 170, 438.), e Giustiniani domo (Gal. Giust. II, 110.), e villa Borghesii (Gerh. Ant. Bildw. 38.), e glyptotheca Monacensi (Schorn Beschr. n. 197. Gerh. Ant. Bildw. 37.), e Pauli basilicae quae ante Romae portas exstat, porticu (Gerh. Ant. B. 39.). Gaea aut ad anaglyphi finem prope pastorem requiescentem una cum grege aut sub Dianae properantis curru exterrita quasi proponitur. Sicut in Endymionis fabula deam amore correptam ad mortalem iuvenem trepida pede accedentem conspicimus, sic deus ad nympham paene denudatam, in solo requiescentem in aliis monumentis appropinquat; aut ***Bacchus*** est cum ***Ariadne*** aut ***Mars*** cum ***Ilia*** aut Venere; ille bacchico thyaso circumdari, hic deorum coetu solet, cui non deest Gaea, praesertim cum locum ipsum, quo fabula acta est, significet. Ad Martem et Iliam spectant anaglypha apud Gerhardum (Ant. Bildw. 118, 1.) et Winkelmannum (Alte Denkm. n. 28. Zoega Bassir. I, 2. Millin Gal. M. 99, 397., ubi falso Cadmi et Har-

moniae nuptiae dicuntur), ad Bacchum sarcophagus in basilica Salernitana asservatus et Gerhardi Ant. Bildw. 112. n. 2. 3. Appropinquantis quoque dei amore correpti exemplum in *Proserpinae* fabula nobis proponitur; sed accedit novum aliquid, raptus summa vi et celeritate peractus, unde mira illa venustatis ac terroris coniunctio quae in morte inest, proponitur. Iam supra ex Homeri hymno in Cer. (v. 8. 9.) Gaeam in ipso raptu partes egisse cognovimus, quare in anaglyphis conspici eam minime mirabimur. Forsitan Gaeae figuram Ennam esse dixeris, regionis deam, ubi e Siculorum mytho, qui postea solus fere in populi ore vigebat, Proserpina ad Pergum lacum rapta est. Duo afferamus Proserpinae anaglypha alterum ex Vaticano museo (Mus. Pio Clem. V, 5. Mill. G. M. 86, 339.), alterum ex Amalfitana basilica. In priore utrum Gaea proposita sit an Ceres, dubitaveris, cum eadem plane figura et calatho et spicis et tauro significata in gemma Triptolemo respondeat (Passeri thes. gemm. astrif. n. 110. Preller Demeter p. 115); accedit quod in musei Louvre anaglypho (Clarac Mus. de sc. t. 214.) matronalis figura, moerentium instar crinibus solutis, veste denudata, in lapide considens, calatho innixa, facem gestans necessario ad Cererem referatur. Nihilominus in nostro quidem monumento Gaea non Ceres dicenda est, cum ipso Proserpinae raptui adsit sicut Minerva aliaeque virgines sodales, Cererem autem abfuisse ex omnibus locis appareat. — Iam ad ea monumenta transgrediendum est, in quibus divini numinis ira homines altiora petentes puniuntur, plerumque in terram coniecti: anteponendum est musei Berolinensis anaglyphum (Gerh. Bildw. 81.), ubi Iove et Iunone e coelo adspicientibus *Vulcanus* decidit, quem figura muliebris in solo iacens veste laciniis obtenta exceptura videtur; additum ei est monstrum marinum; prope abest in rupe Minerva cum olea. Marinum monstrum in Endymionis quoque anaglypho (Gerh. Bildw. 39.) Gaeae appositum invenies. Atque si in serioris aetatis opere Homerum afferre possumus auctorem, Vulcanus non in mare sed in insulam Lemnum decidit (Hom. Il. α, 593.). *Phaethon* e Solis curru deiectus quanquam non terra sed fluvio Eridano excipitur, tamen in eius monumentis Gaea semper conspicitur oppositione illa inter aeria regna, quae homini petere non liceat et terram

iis destinatam significata; exstant illa in museo Veronensi (Mus. Veron. 71, 1.) et in museo Louvre, nuper in villa Borghesii (Winkelm. Mon. In. 43. Mill. G. M. 27, 83. Clarac Mus. de sc. 210, 732.). Neque deest Gaea in deorum coetu ad *Marsyae* poenam adspiciendam convocato, qui exstat in Parisiensi anaglypho (Winkelm. Mon. In. 42. Millin Gal. M. 25, 78. Clarac 123, 731.).

Exterrita suspicit *Oenomai* quadrigam equorum impetu proreptam, dum rex cum Pelope certaturus misero fato occumbit, in Parisiensi anaglypho (Clarac Mus. de sc. 210, 783.). In *Promethei* autem ectypis, quae ad extrema fere antiquae artis tempora pertinent neque christianis vestigiis carent, Gaea optime locum habet, quare neque in Capitolino (Mus. Cap. IV, 25.) neque in Neapolitano (Gerhard Bildw. 61.) neque in Parisiensi (Clarac Mus. de sc. 216, 768.) deest. — Restant adhuc pauca quaedam monumenta, in quibus *Cereris* aut *Bacchi* mytho Gaeam interesse videmus, quae quanquam ad pristinam illam Thesmophoricarum dearum coniunctionem optime quadrant, tamen dubitatione non carent. In argentea patera Aquileiae reperta (Mon. in. III, 4. Ann. d. I. A. XI. p. 78—84.) Triptolemus ad aram adstans conspicitur tribus pueris comitantibus; sacrae cistae mysticae anguillae a duabus nymphis cibus offertur. Imminet quasi iis Iupiter, ex cuius altera parte Proserpina taedam gerens, ex altera muliebris figura veste in genua delapsa, spicarum corona et spicis manu promtis notata assident; huic subiecta est alia figura superna corporis parte denudata, fluitante veste, crinibus delapsis, adiacente bove. Proserpinam, Cererem, Gaeam, non ut alii existimarunt, Cererem, Megaram, Gaeam proponi apparet. Minus constat de altero Triptolemi anaglypho sepulcrali, quod Athenis profectum in Wiltonhouse asservatur (Gerh. Bildw. 310. Erklär. p. 399 sq.). Hic bigae, qua Proserpina aut Ceres volitante veste provehitur, subiacet femina uvis coronata, manu dextra ex stupore elata; oleae et vites appositae sunt. Ex pampinea fronte, ex oleis et vitibus Gaeam non in universum sed Eleusin, regionis, unde Triptolemus expeditionem ad agriculturam propagandam suscepit, deam intelligi non sine iniuria conieceris. Nihilominus ad Gaeae ideam qualis posteriore tempore in usu fuit, haec quo-

que conformata est. Accedit quod quatuor Horae, quas Gaeae coniunctissimas esse supra vidimus, in operculo effictae sunt. — Ex *bacchicis* monumentis duo afferenda sunt, quorum alterum (Mon. in. I, 45.) Bacchi ortum tripartitum nobis proponit; in media parte duobus hermis disiuncta Mercurius volitante chlamyde festinanter parvulum portat, quem suspicit admirans Gaea in solo iacens, maximam partem denudata, nisi quod de occipitio velum defluit; Semele mater in lecto occubans Iove adstante ex altera parte conspicitur. In secundo monumento, quod Parisiis conservatur (Clarac 146, 770.) in universum dii, qui ubertatem et salutem hominibus praestant, coniunguntur: Bacchus in medio positus a Pane duobusque pueris circumdatur; sequuntur ex utraque parte bini temporum Genii; infra occubant in solo fluvii deus et Gaea vestis laciniam tollens cornucopiae adiecto.

Posteaquam quibus fabulis interponatur Gaea in sepulcrorum anaglyphis, perspeximus, quomodo effingi soleat dea quaerendum est; non autem in animo est qualis in unoquoque monumento fingatur, usque ad taedium repetere sed ad positionis, vestitus, signorum varietatem animos advertere; quare exempla ad singulas res comprobandas non cumulabo. *Recubans* in solo semper effingitur Gaea cubito plerumque innixa, cui interdum calathus subditus est; alterum brachium ut stupentis in altum saepe erectum (Gerh. Bildw. 39.). Caput aut quiete prospicit aut ut suspicientis extollitur aut retrorsum vertitur (Gerh. A. Bildw. 38.). Neque desunt exempla, ubi iacentis dorsum, non facies conspicitur (Winkelm. Mon. ined. 110.). Ut commoditatis species in recubando augeatur, alter pes interdum adstringitur. Crines longi, negligentiores, plerumque libere fluitantes, interdum taenia collecti (Gerh. Bildw. 37.), aut diademate aut spicarum pampineave corona ornantur; velum ex capite defluens semel invenis (Mon. in. I, 45.). Si vestem spectamus, saepius quidem ex superiore corporis parte delapsa plane est tunica et in femora libere coniecta neque tamen desunt exempla, ubi decore vestientem aut in altero humero affixam reperies (Clarac Mus. de sc. 165, 437.). Volitans amictus aut una lacinia aut duabus obtentus e marinis numinibus ad Gaeam quoque transfertur (Gerh. Bildw. 37. Clarac 170, 438.). Cum nullum

fere signum in vere Graecis monumentis Gaeae additum inveniamus nisi coronam, iam multa hic nobis obveniunt eaque e Cereris mytho maxime desumta. Constans fere cornucopiae usus est fructibus, hedera, pampinis, floribus repleti. Accedit spica, papaver manu gestatum, calathus appositus; flores in veste collectos conspicis in anaglypho Monacensi (Schorn Glyptoth. n. 197.). Ex animalibus *taurus* bis nobis obvenit (Mus. Pio Clem. V, 5. Mon. in. III, 4.), qui quam arcte cum terrae notione coniunctus sit, acute demonstravit Gerhardus (Ant. Vasenb. I. p. 173.). *Anguilla* non a poetis solum atque mythographis Gaeae filia quasi adiungitur sed in monumentis ad eius pedes sinuatur in arcus (Clarac Mus. de sc. 216, 768.). Quin *marina monstra* bis inveniuntur (Gerh. Ant. Bildw. 39. 81.). Neque genii desunt iocando circa eam versantes; caper a puero adducitur (Wink. Mon. in. 110.). Tanto igitur apparatu seriore aetate ad Gaeae ideam effingendam opus videbatur, cuius et simplicitatem et varietatem in ipso Graecarum artium flore ammirati sumus.

Restat ut paucis demonstremus, quibus diis coniungatur, vel opponatur Gaea. Duo sunt genera deorum respicienda, alterum marinum, quod idem in solo occubans Gaeae opponitur, alterum aetherium, quod in superiore anaglyphorum parte sedens aut media corporis parte e coelo quasi prospiciens supra ponitur. Huc pertinet Oceanus (Gerh. A. Bildw. 36. Winkelm. Mon. in. 110.), fluvii deus (Gerh. A. Bildw. 39. Clarac Mus. de sc. 123, 731. 146, 770.), Eridanus (Mus. Veron. 71, 1.), Amphitrite (Winkelm. Mon. in. 43. Gerh. A. Bildw. 61. Clarac Mus. 123, 731. 210, 732.); ex aetheriis numinibus nominarim Aethera ipsum, barbatum, corona radiata et volitante amictu significatum (Gerhard A. Bildw. 112, 23.), Solem (Mus. Veron. 71, 1. Mus. Cap. IV, 25.), Aeolum (Mus. Cap. IV, 25.), Iovem, Iunonem (Clarac Mus. de sc. 210, 732.). Parvuli ad Gaeae pedes ludentes cum Horarum fere partes agant, tamen hae ipsae ad Gaeae ipsius exemplar effictae adiectis signis non plane in monumentis desiderantur (Gerhard Ant. Bildw. t. 310.).

Statim quae de *diptycho* apud Senones reperto (Millin Mon. ant. ined. II, 341. Gal. M. 34, 121.) monenda sint, adiiciam; hic enim deorum et marinorum et aetheriorum complexum

conspicis, Amphitriten aqua partim contectam et astaco et capro marino manibus sublato, Venerem Marinam, Dianam, Aeona, iuvenem pateram tenentem; adiacet femina denudata sub arbore, cum cane ludens, qua aut terra in universum aut regio significatur.

Ex *monetis* Hadriani, Antonini Pii, Commodi aetas respicienda est, qua *Tellus stabilis* aut *stabilita* in parte monetae aversa saepius proponitur. Sic in quinque *Hadriani* monetis feminam in terra recubantem, aut globum tangentem aut altera manu globum altera pampinum aut spicas gestantem, calatho innixam conspicis (Rasche lex. rei num. V, 1. p. 726. 727.). Eadem Telluris in *Sabinae* Augustae moneta species est, nisi quod laeva manus spicas gestans cippo nitatur. Plane autem differt alia Hadriani moneta (Tristan Comm. hist. tab. 11. p. 14. 372. Rasche l. l.), in qua homo tunica altius collecta prodit altera manu ancoram et spicas altera aratrum gestans. Dissensio inter viros doctos est, num homo sit an femina. De Tellure ipsa cogitari non potest sed aut de imperatore terram et mare regente aut de urbis vel regionis dea, de Roma ipsa. Stabilita autem Tellus dicitur aut propter lacum Fucinum exsiccatum aut propter famem, pestilentiam, terrae motus, quibus Hadriani imperium turbabatur, iam exstinctos. Moneta in *Antonini Pii* honorem excusa nobis ostendit Gaeam denudatam, imperatorem aquila sublatum suspicientem (Millin G. M. 179. 681.). In alia eiusdem Antonini Pii Tellus cornucopiae significata suspicit Solis quadrigam surgentem antecedente Hespero (Mus. Flor. IV, t. 19.). Sedens, globum stellatum gerens, appositis quatuor anni geniis proponitur Tellus et in *Faustinae* moneta (Rasche V, 1. p. 727.) et *Commodi;* in hac et cornucopiae deae additum est et Horae fructus ferentes globi arcum sequentes procedunt imminente arbore (Vaillant Mus. de Camps p. 49. Mus. Flor. IV, t. 48. Rasche l. l.). Sicut in Antonini Pii moneta, suspicit Tellus manu porrecta Commodum alterum Solem quadriga coelum petentem additis quinque zodiaci signis, quae mensibus respondent ab imperatore aliter denominatis (Bianchini Istoria univers. p. 344.). Sardianorum quoque moneta afferenda est, quorum ex altera parte Sardium urbis dea cum corona murali apparet, ex altera iuveni in curru draco-

nibus acto subsistenti succumbit Gaea, vestem manu obtendens, spicis et papavere notata; iuveni inscriptum est *ΤΥΛΟΣ* (Mionnet descr. t. VIII, pl. 11, 4.). Ex his nihil in communi, quam antea e monumentis elicuimus, Gaeae imagine mutatum esse apparet nisi globo addito.

Inter *gemmas* huc spectantes exstant sane, quae animum novitate in se convertant. Primum afferam insculptum achatae (Mus. Flor. II, 75, 4.), quo sacrificium in templi area porticu inclusa nobis proponitur. Ad aram coronis redimitam iuvenis accedit pateram in ignem effusurus, sequuntur duo quorum alter lyra alter tibiis cantat. Proxime ab ara abest Gaea in solo recubans superiore corporis parte denudata, cornucopiae significata. Num Gaeae libatio offeratur valde dubitaverim, haec enim eius imago non priorum temporum cultu consecrata sed ex artificum ingenio profecta est. Potius certam quandam loci deam, quo sacrificium oblatum est, significari patet ex celebri sapphiro (Müller Denkm. p. 72, 416.), quo Constantio imperatori aprum venanti eadem plane persona adest inscriptis verbis: *ΚΕCΑΡΙΑ ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑ* notata. Si onychis quoque celeberrimi Mantuani, qui nuper Brunswigae exstabat, mentionem facio (Gerhard A. Bildw. 310, 3, 4.), non Gaeam ipsam femina ante Triptolemi currum recubante, calatho mystico innixa, manu altera pampinum tenente, altera porrecta repraesentari dixerim, sed Eleusin, ubi intraturus est Triptolemus, in universum regionum deas ad Gaeae exemplar quasi effingi. Duo iam lapides commemorandi sunt, exsculptus alter, alter insculptus, qui ad illas Antonini et Commodi monetas plane accedunt (Mus. Flor. II, 87. Millin Gal. M. 172 bis, 684.). In altero Gaea, Sol, Phosphorus superiecto zodiaco, in altero Gaea, Horae pone eam procedentes, Sol cum zodiaco apparent. His accedit lapidum par (Tassie Catal. n. 806.), qui eandem fere Gaeae imaginem, quae in Faustinae et Commodi monetis s. l. proponitur, referunt, nisi quod Horarum loco duo conspiciuntur genii adiecta Victoria.

Restat ut de lapide insculpto dicam iaspide cyaneo (Mus. Flor. II. p. 52.; vide tabulam adiectam), cuius imaginem cum conspexissem, gaudio me exsultasse confiteor: plane enim illam picturam, quae a Manuele Phile describitur, reperire mihi vi-

debar. Quam etsi opinionem re accuratius considerata omisi, attamen ad imaginem illam animo fingendam mirum quantum conferre existimo. Valde autem doleo, quod in nova eaque accuratiore musei Florentini editione, qua non omnia exhibentur monumenta, haec gemma desideratur; facile autem in pictura toties multiplicata res aut additur aut mutatur. Conspicimus enim virginem generosam in maris ora occubantem, sinistro brachio in Oceani capite chelis instructo innixa, dextro in calatho spicarum pleno reposito. Nobilis est figura decore vestita tunica non manicata, veste supra inferiorem corporis partem superiniecta; a communi usu abhorret amictus virgatus aegidis ratione humeros contegens. Crines e facie restricti libereque super humeros fluitantes conico apice superantur, qui a Phrygio differt. In fastigio eminet signum quoddam ad cervae cornu similitudine accedens. In sinistram manum hasta brevis inserta est. Si ad eas res, quibus circumdatur virgo, procedimus, primum bos requiescens et puer nudus ad calathum properans nobis obveniunt, tum pastor baculo innisus sub arbore ovibus herbam depascentibus, altioribus locis iisque diversis equus, ovis, cerva apparent; in ipso ovatae imaginis fastigio tres casae ligno constructae conico tecto eodemque, quo mulieris apex, signo excellent. Statim apparet non sine consilio apicis tectique formam eandem esse in eaque rei cardinem versari. Tabula quoque cum piscis in lapidem conversi vestigiis quae post Oceani caput conspicitur, commemoranda est neque non naves duae, quarum altera a remigibus agitur. Provinciam vel certae cuiusdam terrae deam repraesentari quivis videt eamque et mare allui et frumento silvis pascuis abundare, vitibus carere; inde de septentrionali regione cogitaveris. Si casas spectas, in comparationem vocandae videntur quae in columna Antoniniana (Ed. Bellori t. 9. 17. 58. 63.) exstant Germanorum domus et ligno exstructae et cylindrica forma et tectis conicis. Deest autem signum illud singulare, quod ne in mitris quidem Dacorum cum apice comparandis invenias. Apicis enim illius formae atque ornamentis respondent fere quae in columnae Traiani basi inveniuntur immixtae armis barbarorum mitrae; quin in fastigiis ipsis aut apex aut cuspis conspiciuntur, sicuti in Saliariorum apicibus (Ant. Agostino disc. sopra alle

med. t. 72.). Mitrae autem illae non tam ad Dacos qui alio uti solent capitis tegumento (Bartoli Col. Traj. t. 75.), quam ad Sarmatas equites referendae videntur. Amictus quoque virgatus ad regionem septentrionalem spectat, cum pelle distinctus videatur. Hastam in universum non abhorrere a Provinciarum imaginibus ex moneta apparet (Agost. l. l. p. 88.), qua Hispania duas gerit hastas. Nihilominus haerebit semper disquisitio nisi signo illo in apicis et casarum fastigiis posito certiores facti sumus, quod ad cervi cornu plane accedit; etiamsi Germaniam aut Sarmatiam repraesentari coniicias. Plane autem sententia eorum refutanda videtur, qui inde a Leonardo Augustino et Maffeo (qui quae longius disputaverint in Rubei Gemmat. IV., mihi non ad manus fuisse valde doleo) Alexandriae Genium vel Annonam Aegypti intelligerent. Ne minimum quidem Aegypti vestigium apparet, quanquam animalibus appositis terra accurate significatur. Caput illud barbatum cancro addito ad Nilum fluvium referri non potest. Quomodo signum apici impositum lotus dici possit non intelligo. Atque casae illae, quae septentrionalem plane et formam et materiam ostendunt, aut horrea Aegyptiorum dicuntur aut Isidis, Osiridis, Harpocrationis templa. Non iam diutius in hac sententia refutanda commorari opus erit. — Nihilominus quaecunque Terra est efficta, in imagine ipsa consideranda si Philae descriptionem spectas, non sine fructu versabere. Habemus etiam virginem nobilem, crinibus fluctantibus, decore vestitam, in solo firmatam, habemus terram et mare, puerum properantem, animalia dispersa, in depascendo occupata. Inde rerum complexum facile tibi, qualis fuerit, effinxeris animo. Atque imaginem ipsam, qualis a poeta describitur, non abhorrere neque a Gaeae idea, quae disertis verbis in Homerico maxime hymno proponitur neque ab eius imaginibus ex tertia maxime artis aetate, quam posuimus, petitis, unusquisque videt.

Dissertationi igitur finem impositurí nihil aliud in optatis magis habemus, nisi ut de terra firma rerum sede disputantes firmis semper fundamentis ad res comprobandas usi videamur, ut non rem solum singularem neque prius cognitam attulisse sed in rebus cognitis comparandis praestitisse aliquid existimemur.

EPIMETRUM.

Ad ea quae de Gaea Olympia disputavimus capite secundo p. 14. adiicienda quaedam videntur. Exstant enim loci, quibus Gaea Olympia eadem esse atque luna comprobari possit (Lobeck Aglaoph. p. 500 sq.): disertis verbis dicit Proclus in Tim. V, 292.: *οὐρανίαν γῆν τὴν σελήνην ὁ Ὀρφεὺς προςηγόρευσεν*; idem l. I, 5: *τὴν σελήνην παρ' Αἰγυπτίοις αἰθερίαν γῆν καλεῖσθαι Πορφύριος λέγει*; Plutarchus autem de def. oracc. XIII, 320. haec habet: *οἱ μὲν ἄστρον γεῶδες οἱ δὲ Ὀλυμπίαν γῆν οἱ δὲ χθονίας ὁμοῦ καὶ οὐρανίας κλῆρον Ἑκάτης προςεῖπον.* Orpheo igitur et Aegyptiis huius sententiae auctoribus utimur; sed modo rem aliis locis allatis accuratius investigemus, hanc totam Orphei sententiam non ex populi religione cum certo quodam cultu coniuncta sed ex physicorum, maxime Pythagoreorum disciplina profectam esse apparet. Cum enim coelum totum ad terrae similitudinem confictam esse, astra singulis terrae elementis respondere existimarent, *γῆν αἰθερίαν* eodem iure *σελήνην* dixerunt atque *ὕδωρ αἰθέριον* Mercurium, *πῦρ οὐράνιον* Martem et quae sequuntur (Procl. Tim. I, 154.). Quare alio loco (Procl. III, 154. IV, 283.) Orpheus *ἄλλην γαῖαν* lunam nominavit. Neque Plutarchus de certo Gaeae Olympiae cultu loquitur sed de verbis a poetis aut a philosophis usurpatis. Minime igitur ad antiquissimum illum Gaeae Olympiae cum Iove coniunctae cultum explicandum haec afferemus testimonia; forsitan seriores illi philosophi Orphicique cum consilio et ratione lunam alteram terram esse dicerent, antiqui illius cultus, cuius quae esset propria natura facile ignorabant, meminerint.

THESES.

I.

Pulchri naturam certis quibusdam rerum rationibus contineri.

II.

Artium quae versantur in rerum imaginibus, disciplinam in scholas publicas introducendam esse.

III.

Triginta non quatuor tribus a Servio Tullio institutas esse.

IV.

Iovis Capitolini templum in ea Capitolini montis parte situm fuisse quae ex Caffarelli palatio nomen accepit.

V.

Alliterationem, quae dicitur, et versus consonantes non Germanicis demum linguis in poesin introductos esse neque a Graecorum neque Latinorum lingua abhorrere.

VI.

Apsida falso a Zestermanno (Die antiken und christl. Basil.) Romanorum basilicis derogari.

VII.

Ecclesiam non plane a republica disiungendam esse.

THESES.

I.

Pulchri naturam certis quibusdam rerum rationibus contineri.

II.

Artium quae versantur in rerum imaginibus, disciplinam in scholas publicas introducendam esse.

III.

Triginta non quatuor tribus a Servio Tullio institutas esse.

IV.

Iovis Capitolini templum in ea Capitolini montis parte situm fuisse quae ex Caffarelli palatio nomen accepit.

V.

Alliterationem, quae dicitur, et versus consonantes non Germanicis demum linguis in poesin introductos esse neque a Graecorum neque Latinorum lingua abhorrere.

VI.

Apsida falso a Zestermanno (Die antiken und christl. Basil.) Romanorum basilicis derogari.

VII.

Ecclesiam non plane a republica disiungendam esse.



2.